

Digitized by Google



Digitized by Google



10. 4. 1[illegible]2

Digitized by Google

A

Digitized by Google

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES
IN
PSALMOS.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES IN PSALMOS

UBI

QUÆ A TRANSLATORIBUS PRO SUO ARBITRATU ADDITA SUNT IN ILLIS ADNOTANTUR,

QUÆ ADHUC CORRUPTA IN HODIERNO HEBRÆO VISUNTUR.

ACCEDIT BREVIS DISCEPTATIO

DE PSALMORUM AUCTORIBUS

CUM ANNOTATIONIBUS,

In quibus intima virtus hæbraicæ phraſis, ac idiotiſmi in aliquibus ſententiis, aut verbis eorundem depromitur.

ADDITIS PRINCIPUM TRANSLATORUM

ALIQUORUMQUE ECCLESIÆ PATRUM

Variis lectionibus, nec non Rabinorum ſenſibus, urbium, montium, locorumque orientalium deſcriptionibus,

Pro Eccleſiaſticæ præſertim juventutis commoditate

P. F. FRANCISCI ANTONII BIONDI

A S. GERTRUDE FLORENTINI

EREMITANI ORDINIS EXC. S. P. AUGUSTINI.

EMINENT. AC REVERENDISS. PRINCIPI S. R. E. CARDINALI

ANDREÆ CORSINI

CONSECRATÆ.

LUCÆ MDCCLXVI.

Typis JOSEPHI ROCCHII ✕ *Cum Approbationibus.*

Digitized by Google

Digitized by Google



EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

ANDREÆ CORSINI

F. FRANCISCUS ANTONIUS.

HUjus opellæ conditio poſtulat, ut e Principibus viris alicui conſecretur, qui literarum ſacrarum amator, ac vindex ipſam probare, eique

ſa-

Digitized by Google

favere non renuat. Ea circa Pſalmorum librum verſatur, ubi quæ Deus olim Patribus patefecit myſteria continentur, nec non ſummi numinis præconia, & monita, quibus ea vitæ ratio inſtituatur, per quam humanum genus optatiſſimo fruatur fine, ejuſque fiat compos beatitatis, quæ ab hac noſtra inſidiarum, & certaminum paleſtra quam longiſſime abeſt. Quamvis vero Divina oracula maxima ſemper vi polleant, tamen valentius illabuntur animis, eoſque permovent acrius, ſi e primigenio fonte, eo nempe ſermone, quo uſus eſt Deus ipſe, petantur. Quemadmodum enim ſolares radii ad perpendiculum emiſſi terras vehementius feriunt, ac permeant, ita ejus, qui ſol juſtitiæ nuncupatur, eloquia, ſi verbis, quibus prolata ſunt, excipiantur, ſplendore, ac virtute præſtantiora comperiuntur. Et cuinam Clariori Patrono, *Ampliſſime Princeps*, hanc qualemcumque lucubratiunculam devovere poteram, quam Tibi? Etenim ex quo ad Ec-

cle-

Digitized by Google

cleſiaſticam Rempublicam acceſſiſti in ipſo ætatis flore ſacrarum literarum ſtudium tanta alacritate amplexus es, ut omnium in Te oculi convertantur. Tu ex graviſſimis negotiis ad relaxandum animum colloquium adhibes doctiſſimorum ſelectorumque virorum, quos luculento exemplo in deliciis habere conſueſti. Id certe teſtatur, Te teneris ab unguiculis ſanam cum lacte ſuxiſſe doctrinam, illam inquam, quæ in Romana Dei Eccleſia invariabilis, ac florida ſemper viguit. Mirum non eſt igitur, ſi omnium ſacrarum diſciplinarum Profeſſores jucunde complectaris, & ſub Tui Patrocinii umbra tute ipſi quieſcant. Linguarum etiam orientalium neceſſitatem, utilitatemque non perfunctorie noſcis præſertim Hebraicæ, atque non vulgare exhibes oblectamentum, ut ad Theologicæ ſcientiæ omnibus numeris abſolutæ ſtudium conſtituendum, ea reſtituatur: & quamvis quod ingenue fateor, in hac provincia fere hoſpes ſim, tamen non obſcure per-

ſpe-

ſpexi, cum apud Te eſſem, voluptati Tibi eſſe, me in hoc ſtudiorum genere immorari, atque es cohortatus, ut omni ope culmen attingere conarer, quod eveniet, quotieſcumque Præſidium Tuum acceſſerit, Tuaque tutela, quam potiſſimum exquiſivi, mihique benevolo pollicitus es animo. In hoc ęqua mentę ſum, cum in Te omnium majorum tuorum derivatam eſſe benignitatem illam intueor, qua ſingulos patrocinabantur ſtudioſos, eorum tamen ſplendor ita a Te augetur, ut ad laudem, gloriamque unice eſſe factus videaris. Quæ cum ita ſint, peculiari providentia a Clemente XIII. P. M. in illorum cœtum es cooptatus, qui Apoſtolico funguntur munere, & veluti in firmamento ſidus nitidiſſime refulges. Accipe igitur placida fronte, *Eminentiſſime Princeps*, leve hoc obſequii mei monumentum, quod ſi impetravero, ſummo me ornatum beneficio, beatumque perpetuo judicabo.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Eccleſiæ Catholicæ omni tempore vigilans cura præſtitit, ut libri ſancti in genuina ſua integritate, atque puritate ſervarentur; quapropter multoties eruditiſſimos, ſummoſque viros adhibuit, qui conſultis emendatiſſimis quibuſque antiquis codicibus Hebraicis, Græcis, atque Latinis, dictiones temere additas ab Hæreticis, præfationes, variaſque marginum adnotationes demerent, aliaque multa vel ab Judæorum malitia, vel a Librariorum incuria depravata per ſimilitudinem Hebraicorum elementorum, diverſumque punctorum ſitum; temerariam quoque quarundam vocum adjectionem, aut mutilationem, ex quibus contrarius, aut obſcurus ſenſus præſertim in Pſalmis oriebatur, abolerent. Idque plurimorum Pontificum temporibus contigit, qui, Spiritu Sancto duce, operam navarunt, ut fons ille, a quo omnes Chriſtifideles incorruptibilem mutuantur vitam, purus permaneret, ac lympidus Moderantibus Dei Eccleſiam Pio IV. Pio V. Siſto V. Gregorio XIV. qui Sixti V. opus imperfectum complevit, Innocentio IX. Clemente VIII., quæ ſuperius innuimus, abſolverunt. Mirabitur igitur fortaſſe quiſpiam, cur poſt tam miram, diligentemque ſacrorum librorum diſcuſſionem in lucem prodeat præſens animadverſionum collectio in Pſalmos, in quibus enucleantur non pauca, quæ ab Interpretibus arbitratu ſuo addita videntur, vel ob ſenſus perſpicuitatem, vel ad emphaſim augendam, aliaque permulta a nonnullis animadverſa recenſentur: Non vero inutilem laborem ſuſcepiſſe æquis rerum æſtimatoribus videbor, ſi conſilii mei rationem, quam mihi propoſui, paucis explicuero. Nemini obſcurum eſt, clariſſimos viros obſervationes, quas innuimus, maximis voluminibus, ac ſparſim fuiſſe complexos, quare non eas omnibus integrum erit perſpicere, ex quarum cognitione multarum difficultatum, ac objectionum occaſio Hebræorum, aut Hæreticorum contra orthodoxos cuicumque conſtabit. Præterea non unicuique ſuppetunt Polyglotta Biblia, aut SS. Patrum volumina, ac Hebraici ſermonis ſcientia, ut quæ notatu digna in Pſalmis reperiuntur, ea ipſe per ſe integris ex fontibus haurire queat, iccirco operæ pretium ſum arbitratus, ſimul hæc omnia in præſens opuſculum congerere, ut ea facilius adinvenire valeat, quæ in pſalmorum volumine recondita quiſpiam dignoſcere concupiverit, ac documenta ſumere volentibus longæ inquiſitionis labor abſit. Nec me Pſalmorum auctores diſquirere piguit, cum a poeſis varietate, conceptuum, idearumque plures, ac diverſos fatendi ratio miniſtretur, non eorum veſtigia

ſectando, qui ampliorem inſtituere quæſtionem, ſed in quodam brevitatis circulo ipſam perſtringendo. Annotationes etiam nonnullas addidi, in quibus non ut commentatorem meipſum exhibeo, at tantummodo, quæ in titulis eorum oboriuntur difficultates exolvo, Rabinorum pariter ſenſus refero, montium, ac urbium orientalium ſitum curſim deſcribo, principum Translatorum, Eccleſiæque Patrum varias lectiones ob oculos pono, quidquid emphatici in aliquibus ſententiis, aut verbis Hebraicis includitur depromo, ut ſtudioſis innoteſcat juvenibus, in primævæ linguæ Hebraicæ idiotiſmo, talem ineſſe virtutem, altiſſimamque majeſtatem eloquutionis, ad quam nec Gallicum, aut Anglicum idioma nequit pertingere. Idiomata, inquam, illa, quibus toto mentis conatu incumbunt juvenes, & optime quidem, atque, ut ita dicam, neceſſario, non ut quæ tamen celeberrimi auctores inſignia ſcripſerunt opera, ad utilitatem perſcrutentur aliqui ex ipſis, ſed nonnulla verborum officia addiſcunt, iiſque perſæpe utuntur, ne ignari, aut inutiles appareant in circulis; aut ſiqua ſit eorum lectio, circa illos verſatur libros, e quibus cum modificato veneno lacrymabilia propinant deliria. Ex linguæ Hebraicæ vero intelligentia, nedum quæ ad intellectus pertinent ornatum, acquiruntur, verum etiam ad animi moderationem tutiſſima exoriuntur præcepta: cum enim præter ſacra Biblia nil aliud ea amplectetur, ex hac occaſione contigeret, ut ſæpius illum Catholicorum librum avidiuſque ii perlegerent, proindeque & ea, quæ eminenter loquutus eſt Deus in Prophetis, cum voluptate reciperent, & Religionis firmiſſimis inhærerent principiis. Non vero id mihi oneris adſumo de ejus utilitate diſſerere pro theologicis diſciplinis, cum innumeri validiſſimis oſtenderint argumentis, ad perficiendum virum theologum illam neceſſario requiri, dumtaxat contendo, cum nos Romanæ Eccleſiæ filii nominemur, ac ſimus, pro virili dandam eſſe operam, ut matrem noſtram ab iis tueamur inſidiis, quibus eam infenſiſſimi hoſtes invadunt, ſacris voluminibus perperam utendo, & quemadmodum adverſus illam ex his tela deſumunt, ita ex iiſdem a nobis ſunt petenda, ut illorum eluceſcat nobilitata malitia. Forſan ſupervacaneum erit ſtudium hoc, quia canonicam habemus vulgatam ſummæ auctoritatis, ac fidei? Quid vero proderit, ſi quiſpiam convinci debeat, qui Pontificum Romanorum, Conciliorumque generalium mentem falli neſciam impudentiſſime, ac pertinaciter negat, ideoque illam reſpuet? Vulgatæ verſionis certitudinem venerati ſunt omnes SS. PP. utpote Divini Spiritus opus, attamen ſacræ Scripturæ lectionem ex primigenio fonte manantem neceſſariam appellarunt: ſic D. Parens Auguſtinus „ ad ſacras literas intelligendas, Hebraica, Chaldaica, & Græca lingua neceſſariæ ſunt". Haud ſecus S. Ambroſius in pſ. 12. ad verbum Bereſit. Æraſmus in præf. ſuper Laurentii ann. Clementina cap. de mag. aliique multi. Quod quidem perpetuo ſan-

Digitized by Google

ſanctiſſimi viri, eruditiſſimique præſtiterunt, & in republica literaria notiſſimi, uti præter Originem, Hieronymum, ceteroſque Patres, Franciſcus Ximenius, Juſtinianus Genuenſis, Franciſcus Junius, Joannes Phocenſis, Sanctes Pagninus ex Præd. Ord. Ludovicus Legionenſis Æremitanæ Auguſtinianæ familiæ, Franciſcus Cano, Vatablus, Mercerus, Grotius, & noſtra tempeſtate Scipio Maffei, qui ſeptuaginta tres annos natus ſumma dexteritate eam ſibi comparavit, reliquorumque ſingula quorum nomina recenſere perlongum eſſet. Unus eſt quidem illius ſcopus, at circa librorum omnium præſtantiſſimum verſatur, ubi præter id, quod ſupra recenſui, altiſſima rethoricæ præcepta, & hiſtoriæ præclare depromuntur. Quid de poeſi? In hoc enimgenere omnes fere verſati ſunt ſacri illi Vates, quorum monumenta in Sanctis habemus literis, ubi partim de Deo, rebuſque cæleſtibus loquuti ſunt, partim excellentia facta exornarunt, quorum verſus, qui paulo attentius legerit, facile Græcorum, Latinorumque carminibus anteponet. Quid enim illuſtrius, quid gravius, quid ornatius fieri poteſt illo carmine de Ægyptiorum clade in mari rubro? quid tam ſplendidum, tam magnificum, ac admirabile quam Davidis carmina? Ibi enim ſententiarum mira nitet majeſtas, eloquentia ibi elucet divina; tam ſæpe verba transfert, & immutat, verborumque utitur ornatu, ut nihil ſuavius fingi poſſit. Talis demum naturæ ſunt Davidis, aliorumque Prophetarum carmina, ut Pindari, Flacci, Alcæi luminibus obſtruant, D. Hieronymo teſte. Quotieſcumque juventutis animus ad ſacra convertatur ſtudia, proculdubio eveniet, ut difficultates, quæ initio linguæ ſanctæ ſtudium capeſſentibus obiiciuntur, contemnat. Sed quo me protraxit digreſſio?

In hiſce rebus, quas promiſi præſtandis brevitatem ſequor, ne extra quos mihi propoſui limites tranſgrediar, quapropter non integros repeto Pſalmos, ſed tantummodo illorum aliquas excerpo phraſes, ac idiotiſmum, & in nonnullis parum immoror, vel quia in ſuperioribus annotationibus jam loquutus ſum, vel quia nihil peculiare ibi peragitur. Ceterum ſacrarum ſcripturarum viri conſultiſſimi minime deſunt, qui fuſiori ſtylo hæc omnia ſunt perſequuti, in quorum operibus eadem quilibet deguſtare pro re, ac tempore poteſt. Eorum commodis conſulendum mihi putavi, quibus veterum Patrum adeundi volumina, quotieſcumque res poſtulat, copia deerit. Neque is ego ſum, qui contendam numeris omnibus opuſculum præſens abſolviſſe, cum nec ſim neſcius in diverſum abire ceteras verſiones, licet parum ab Hebraica diſcrepantes, ſed hanc tantum proponere decrevi, cum ea omnibus aliis magis obvia ſit, & Hæreticorum, Hebræorumque cavillationibus magis obnoxia videatur. Humaniter ergo accipite, lectores ornatiſſimi, hoc, quod vobis offero, exiguum opus, tanquam obſequentiſſimi animi mei erga omnes ingenuum argumentum.

Digitized by Google

ORDINIS APPROBATIO.

Nos F. Proſper Meſſinenſis a S. Monica Ordinis Eremitarum Exc. S. P. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germaniæ Generalis V.

LIbrum cui inſcribitur titulus *Animadverſiones in Pſalmos* a Reverend. P. Franciſco Antonio a S. Gertrude in noſtro Florentino Conventu Sacrarum Scripturarum Lectore Emerito, Romanæque noſtri Ordinis Provinciæ alumno ſtudioſe elaboratum, atque a duobus noſtris Theologis ſpecialiter deputatis reviſum, ac approbatum, præſentium tenore, ac auctoritate, qua fungimur, eidem P. Franciſco Antonio, qui ſupra, facultatem impartimur, quatenus ſervatis de jure ſervandis, typis excudere valeat.

Dat. Meſſinæ ex noſtro Conventu SS. Annunciationis Kal. Julii an. 1765.

F. Proſper General. Vic.

F. Leopoldus Secr. Generalis.

IN

Digitized by Google

IN PSALMORUM AUCTORES

BREVIS DISCEPTATIO.

IN omnibus fere priſcis, ſequioribuſque temporibus hujuſce argumenti materiem innumeri pertractarunt: Eccleſiæ Patrum, Cryticorumque labor non parum in ipſo inſtitit, ut e tenebris, quibus obvolvebatur, veritatem enuclearet, at in vacuum quidem; nam conſuetudo illa, quæ inter Catholicos nonnullos Pſalmos David appellare docuit, Hebræorum, aliquorumque Patrum adverſa opinio, quæ pro pluribus pugnat auctoribus, rem ita exagitarunt, ut ancipites lectores, ac ſtudioſos reliquerint, abſque eo quod certitudinem indicarent. Utraque ſententia ſuis non caret patronis: tanquam probabiliorem vero major eruditiſſimorum hominum pars illam amplectitur, quae plures reſpicit auctores, ut ipſum David, Aſaph, Heman, Ethan, Moſem, Corach, quam & nos lubentiſſime ſequimur, nedum quia D. Hieronymo, Hil. ceteriſque conſpicuæ notæ viris magis adlubet, verum etiam quia non obſcuris ſacræ Scripturæ teſtimoniis ſulcitur. Ex quo tamen minime conſequitur, hujuſmodi argumenti ineluctabilem demonſtrationem omnium oculis in præſentiarum exhibere, ſed probabilitatem tantummodo illam, quæ ſacris litteris copulari videtur pro ut vires ſuppetunt, breviter oſtendemus.

Qui David tanquam unicum Pſalmorum auctorem tuentur, ſequentibus moventur principiis [1] „ Dixit David filius Iſai egregius Pſaltes Iſrael, Spiritus „ Dei loquutus eſt per me ". Verum ex his verbis nec ceteri eliminantur Pſaltes, nec eadem ſolum David ſtabiliunt: allatum teſtimonium nos quidem inſtruit, David principem inter reliquos vates obtinere locum, ac majore Sancti Spiritus gratia, & illuſtratione donatum eſſe præ ceteris. Deinde inquiunt, Levitas hymnis, canticiſque uſos eſſe ipſius Prophetæ in Templi dedicatione ſub Salomone [2]; ſicuti etiam præſtitit ipſe Ezechias in ejuſdem Templi reparatione (3). Poſt e Babilonica captivitate reditum, Davidis Pſalmi decantati ſunt. Jeſu filii Sirach momentum afferunt, qui ſanctum Regem peculiari elogio proſequitur, eo quia divinum Pſalmorum librum exornavit, Rabinorumque auctoritatibus confirmant. Conſtantem obiiciunt Eccleſiæ conſuetudinem, qua erudimur, Pſalmos David vocitare. Hæc profecto ſunt adverſariorum momenta præcipua, eorumque aſſertionis valida origo, quæ quidem contrariæ opinionis propugnatores nil movent. Nam ſi Levitæ in Templi dedicatione, reparationeque ſub Ezechia hymnos decantarunt Davidicos, id proculdubio contigit, vel ex materiæ proprietate, & propinquitate, quæ in pſalmis illis eminebat, vel cum haud ignoraret ipſe a Salomone filio ſuo ædificandum eſſe Templum juxta Dei mandatum, atque non paucis decurſis annis prophanandum eſſe ab alienigenis, jucunda exaravit cantica, in quibus divina extollitur bonitas, atque benignitas erga fidelem populum, aliaque condidit, ubi ejuſdem populi peccata fatetur, Deique in ipſis imploratur venia, ac ſuper Iſraeliticæ gentis hoſtes deſideratur triumphus. At ex his non infertur ipſum ſolummodo auctorem extitiſſe, ut ex recenſito teſtimonio apparet, & ut inferius videbimus. Jeſus filius Sirach Pſalmorum librum laudibus extollit

(1) 2. *Reg.* 22. 1.
(2) 2. *Reg.* 7. 6. *Et* 1. *Par.* 23. 5.
(3) 2. *Par.* 29. 30. *Ut laudarent Dominum ſermonibus David, & Aſaph videntis.*

Digitized by Google

tollit ſummis, nec tamen ceteros reſpuit Vates, ſicuti & Rabini, qui ab adverſariis citantur, licet eorum nomina non recenſeant. Deutur, maxima iſtorum turba, aut præſtantiſſimi ſaltem, non pro Davide tantum pugnat, ſed pro Heman, Ethan, Corach etiam certat: immo & quos tanquam genuinum fœtum Prophetæ Regis exiſtimant, ſuis demoſtrant obſervationibus, quoſque aliorum, rationibus oſtendunt [1]. Eccleſiæ vero traditio Divinum extare Pſalmorum librum nos perpetuo docuit, ſuppreſſo tamen auctoris nomine. Forſan in eccleſiaſtico canone *liber Pſalmorum David* inviſitur? *liber Pſalmorum* tantummodo legitur, ſignum evidens eſt, & illam plures admittere auctores alios a Davide, quos laudabili œconomia reticet. Diverſimode ſe habuit in Prophetarum, Apoſtolorumque epiſtolis enunciandis: pro firmo tenuit prophetica Oſeæ verba, Iſaiæ, ceterorumque Prophetarum eorum effata eſſe, unumquodque volumen ſingulare inſignivit nomine auctoris, ita e. g. Propheria Iſaiæ, Jeremiæ, Baruch ec. Pari eloquutione loquendum eſt de novi teſtamenti ſcriptoribus, Petro ſuas ſignavit epiſtolas, Paulo, Joanni, ac reliquis Eccleſiæ Chriſti Apoſtolis propria tribuit eloquia: unde nec David fœtum appellare abſtinuiſſet Pſalmorum librum, quotieſcumque eadem adeſſet certitudo, qua cetera pollent canonica volumina. Verum quidem eſt, contingere poſſe, ipſam Eccleſiam minime librorum auctores perquirere, ſi verba in ſcriptis contenta Spiritus Sancti afflatu prolata cognoſcat, ac determinet, tamen ipſorum nomina operibus nectit, cum nullo negocio eorum non obſcuram acquiret notitiam. Reliqua examinemus, quæ pro pluribus ſtant auctoribus.

Ne vero plus nimio longior ſim unum, aut alterum Sanctorum Patrum afferam teſtimonium: „ Unde abſurdum eſt, inquit S. Hil. (2) Pſalmos David di„ cere, vel nominare, cum ibi auctores eorum ipſis inſcriptionum titulis commen„ dantur“, S. Hieronymus in operibus ſuis genuinis ita loquitur (3) „ Pſalmos „ omnes eorum teſtamur auctorum, qui ponuntur in titulis“. Alio in loco (4): „ Sciamus errare omnes, qui omnes Pſalmos David arbitrantur, & non eorum, „ quorum nominibus inſcripti ſunt“, Quæ quidem Patrum aſſerta nulli facit doctiſſimus Bellarminus, qui totus pro Davide eſt, ac ſcribit (5) „ Certum eſt, „ Heman, Ethan, & Aſaph fuiſſe potius cantores, quam Prophetas“. Verum animo reverenti, ut tanti viri doctrinæ decet, præteriti ſæculi ornamenti clariſſimi, quæro, e quo nam loco ſacrarum Scripturarum certitudo, ac evidentia eruatur? quin immo ex ipſis divinis litteris non obſcure deducitur, cantores quidem extitiſſe, verum etiam viros doctiſſimos, atque Prophetas, ac de unoquoque gradu liceat mihi momenta hic ponere. „ Porro cantores, Heman, Ethan, & „ Aſaph in cymbalis æneis concrepantes“. (6) De iis ſacra eloquia enunciant „ fuit numerus eorum, qui cuſtodiebant canticum Domini cuncti doctores“. (7) Quod vero Prophetæ extiterint, in ſequentibus verbis apertiſſime apparet „ O„ mnes iſti filii Heman videntis Regis in ſermonibus Dei“. [8] „ Porro canto„ res filii Aſaph ſtabant in ordine ſuo juxta præceptum David, Aſaph, & He-

„ man,

[1] *R. Salomon, Aben Eſdra, David Kimbi, Maimonides in Tal. Obſ.*
(2) *Pref. in pſſ. & in pſ.* 131. *p.* 446. *n.* 2.
(3) *Epiſt. ad Soph.* 134.
[4] *Epiſt. ad Cyp.* 139.
(5) *Præf. in pſſ. prope finem.*
(6) *Lib.* 1. *Par. cap.* 15. *V.* 19.
(7) *Ibid. cap.* 25. 7.
(8) *Ibid. cap.* 25. 2.

Digitized by Google

„ man, & Iduthum prophetarum Regis [1] Præcepit Levitis, ut laudarent Do-
„ minum ſermonibus David, & Aſaph videntis [2].

Nonnulli hoc in loco reponunt, Prophetæ nomen non ſtricto, ſed lato ſenſu accipi debere, cum non ſemper eum, qui futura prævidet, ſignificet. Vero & ultro fateor, non in rigoroſa acceptione quandoque ſumi; interdum enim eum, qui noſtra ætate, vel elapſo tempore non pauca revelat, nobis tamen prorſus impervia; hominemque etiam a Deo inſpiratum, ejuſque nomine loquentem demonſtrat, ſic verbum נבא Nabì importat a radice נבא Nabà (3). Unde de Aaron dictum eſt „ Aaron frater tuus erit נביאך Nebieha, ideſt, Propheta tuus“ [4]. Demum pro cantore intelligitur. Qualiſcumque ſit tamen eorum loquutio, divini auxilii peculiare donum elucet, quod Prophetæ ideæ convenit. Minime vero in hoc reponendi ſunt ordine laudati viri, cum a ſacris litteris nomen etiam ראה Roèh illis tribuatur, nempe videntis, uti ſuperius conſideravimus, quod Prophetæ competit ſtricto modo acceptum. Ipſorum cantica pſalmique legantur, diligentia adhibeatur non iners, innumera de Divini Reparatoris vita clariſſime elucent, aliaque non pauca, quæ quidem ipſi nequierant vaticinari, niſi Divinus Spiritus eos docuiſſet ut reliquos Prophetas. Forſan propheticæ vitæ impar eſt propria canere poemata? Non ne ille Moyſes Iſraeliticæ gentis ductor Sanctiſſimus ore ſuo canticum omnium celeberrimum protulit, poſteaquam ad alteram Herythræi plagam pervenerit? „ Canam Domino, quoniam eminendo emi-
„ nuit equum, & aſcenſorem ejus ejecit in mare“ [5]. Non ne Anna, Iſaias, ipſe David, Baruch, omneſque alii Prophetæ, ideſt, videntes carmina ſua ore proprio cantarunt? Nunquid laudatum auctorem verbum illud impellit, quod in aliquibus reperitur pſalmis, hoc eſt, lamnatſeah? Sed cum ita ſit, dicendum pariter erit, David cantorem tantum non Prophetam extitiſſe: nam in pſalm. XI. XIII. Latinis X. XII. aliiſque non paucis legitur *lamnatſeah ledavid*, quod verbum aliqui *in finem*, non nulli *victori* (6): tandem *præfectus cantorum* interpretantur: omnes tamen conveniunt (7) tam Judæi, quam Catholici, genuinam hujus dictionis ſignificationem ignorare, ac per conſequens ex illa nullum erui poteſt argumentum poſitivum.

Verum enim vero ſi Pſalmorum tituli ſerio conſiderentur juxta hebraicam conſtructionem, punctorumque ſeriem, ſaltem non debilis apparebit probabilitas Heman, Ethan, & Aſaph aliquorum Pſalmorum auctores fuiſſe demonſtrans in pſ. 50. Latinis 49. habetur מזמור לאסף mizmor leaſaph pſalmus Aſaph: in pſ. 74. Latinis 73. משכיל לאסף maſchil leaſaph intellectus ipſius Aſaph: in pſ. 77. Latinis 76. *Victori Jeduthun ipſius Aſaph pſalmus.* De Heman quoque in pſ. 88. Latinis 87. *Canticum pſalmi filiis Corach Victori ſuper mahalath ad canendum* משכיל להימן maſchil leheman *intelligentia* ipſius Heman. Ubi notandum occurrit & cantores, & muſicale inſtrumentum hoc in titulo reperiri, ex quo omnis dubitationis occaſio tollitur, utrum fuerit Heman præſentis auctor pſalmi. Pari-
for-

(1) *Lib. 1. Par. cap. 25. 5.*
(2) *Lib. 2. Par. cap. 35. 15.*
(3) *Vide lex San. Pagnini ad radicem* נבא.
(4) *Exod. cap. 7. 1.*
(5) *Ibid. cap. 15.*
[6] *Victori, ſicuti cantorum magiſter præ omnibus excellentior eſt, ſic* Victor *eſt appellatus, eo quia, ut ita dicam, reliquos in cantando vincit, ideo vox* נצח *nitſeh in piel ponitur ab Hebræis, in conjugatione, nempe, emphatica.*
(7) *Vide Arcam Noe Marci Marini, ejuſque ann. in pſſ. Calm. diſſ. adverſus lamnatſeah, & Selah.*

formiter de Ethan diſquirimus, ſic in pſ. 89. Latinis 88. משכיל לאיתן maſchil leethan intellectus ipſius Ethan. Si enim Davidis dicuntur cantica, pſalmique illi, qui illius nomen præſeferunt, ut מזמור לדוד mizmor ledavid cantus David: משכיל לדוד maſchil ledavid intelligentia, ſeu intellectus ipſius David, quare Aſaph, Ethan, Heman denegandum erit illorum Pſalmorum auctores extitiſſe, ubi ipſorum nomina leguntur in titulis, iiſdem omnino poſitis verbis, litteris, ac punctis ut in titulis David? Non major apparet ratio cur legi debeat *pſalmus David* ab ipſo, nempe, exaratus, ac *pſalmus Aſaph* ab eodem conditus, quin potius dici debeat pſalmus David, qui Aſaph tradidit, ut caneret, quod linguæ ſanctæ proprietati, ac puritati omnino repugnaret. Si litera ל lamed, quæ genitivo, & dativo inſervit, genitivi, atque dativi vim in nomine David obtinet, quare & non in illis? Quis unquam in grammaticis docuit elementis illam litteram tam multiplicem, miramque verborum continere ſeriem uti neceſſum foret, ſi Pſalmorum tituli diverſimode a ſimplici, rectaque interpretatione eſſent explicandi?

Quod ſi Pſalmorum inſcriptiones numquam auctoris nomen deſignant, legitime conſequitur, quod nec ipſe Sanctus David illorum ſit conditor, cujus nomen in initio ponitur. Si vero conſuetudo obiiciatur, quæ Pſalmos fœtum David docet, ex eadem, reſpondetur, pariformiter hauritur, Heman, Ethan, & Aſaph aliquorum fuiſſe auctores Pſalmorum. Hæc ſunt, quæ quaſi in acervo congeſſimus ſuper hanc argumenti materiem brevis inſtructionis cauſa ſtudioſæ juventuti. Unuſquiſque vero Patres, Cryticoſque univerſos pro ſua opportunitate conſulere poteſt.

Digitized by Google

PSALMUS I.

ARGUMENTUM.

Pie ſanƈteque viventibus beatitudo promittitur, peccatoribus autem ſempiterna ab juſtis ſeparatio.

℣. 4. Non sic. Secundo loco repetitum Translatores addiderunt emphaſis gratia.

ANNOTATIONES.

Psalmorum Liber ab Hebræis ספר תהלים Sepher tehilim appellatur, liber pſalmorum, vel hymnorum. A Cantapetrenſe 4. hypt. c. ult. alia exhibitur explanatio, nempe, acervorum liber, idque quia multi pſalmi in unum veluti acervum in hoc libro conjeƈti ſunt. Hymni etiam vocantur ob illos pſalmos, in quibus Dei laudes celebrantur, illique ſunt, ubi Hallelu-Jah inſcribitur. A Græcis *Pſalterium* nuncupatur, quod muſicum inſtrumentum eſt, quamvis non omnes pſalmi muſico ſemper inſtrumento decantarentur, ſed voce humana, quod proprie *Canticum*, vel *Ode*, vel *Hymnus* nominatur. Cum utrumque fiebat, atque initium a cantione ducebatur, *canticum pſalmi*, ſi ab inſtrumenti modulatione, *pſalmus cantici* dicebatur. Inſtrumentum hoc principio gregi ſerviebat, poſtea David ad uſum tranſtulit ſacrum, cantoreſque inſtituit: id præſtitit in translatione Arcæ Domini de domo Obededom, adſcriptis in eorum numero Caathitis, Gerſonitis, Meraritis. Quid inſtrumenta *Arcana*, *Oƈtava*, *Epinicion* importent, in titulorum explanatione obſervabimus.

Non ſatis clare apparet, quid, & quale extiterit inſtrumentum *Pſalterium.* Joſephus 7. antiq. c. 10. duodecim ſonos habere tradit, ac digitis carpi. Hilarius, Didymus, Baſilius, Euthymius omnium muſicorum inſtrumentorum reƈtiſſimum appellant, nihil in ſe obliquum continens, quod in ſuperiore parte pulſaretur, ex quo apparet, caruiſſe cavo teſtudinis. D. P. Auguſtinus in pſ. 32. & 42. aſſerit, manibus portari percutientis, & ex ſuperiore parte habere teſtudinem, ſcilicet, concavum illud lignum, cui chordæ innitentes reſonant. Hieronymus ad Dardanum ſcribens, deſcribit inſtrumentum hoc in modum quadrati clypei cum decem chordis, quid vero fuerit reipſa ignoratur: idque demonſtrari poteſt ex explicatione nominis כנור chinnor, quod aliqui *pſalterium*, aliique *citharam* vertunt, niſi dicatur, noviſſimam cum primo confundi, ſed hoc in caſu nil certi nobis exhiberetur. Non deſunt, qui *arpam* & *ſambucam* explicent, ut Porphyrius in vetere lexico tradit. At hujus noſtræ ætatis arpa ex viginti & una chordis intenta eſt, quomodo ex decem *Pſalterium* conſtat, ut ſuperius in-

Digitized by Google

nuimus ex teſtimonio Joſeph? Melius nunc erit antiqua inſtrumenta, nebel, octava, higgittith appellere hebraico retento nomine, quam eorum formam deſcribere. Nulla fides Thalmudiſtis, qui ſuis falſis inhærent traditionibus, atque tali forma pingunt, ut afferere auderem, ipſum Jubal, & David profecto ignoraſſe.

Communiter nullus reperitur titulus hujuſce pſalmi, ſi paucos græcorum libros excipias, in quibus *David propheta Regis carmen* legitur, cui opinioni, etiam tenentes, pſalmos omnes minime a Davide exaratos eſſe, adſentiunt. Exceptis Lyrano, & Ludolpho, omnes doctores firmiter tenent, hunc Davidicum extare. Nec mirari quis debet, ſi abſque inſcriptione præſentem intueatur, quia, ut ait S. P. Auguſtinus, hic Propheta Deum loquentem facit, docentemque, idcirco nulla addenda eſt inſcriptio. Chriſologus ſerm. 44. „ pſalmorum præfa„ tionem hunc declarat, pſalmorum pſalmum, titulorum titulum, argumentum ge„ nerans argumenta, totam cauſam ſequentium canticorum “.

Pſalmorum materiem ſerio conſiderantibus apertiſſime apparebit, illos a Davide, ceteriſque auctoribus compoſitos non fuiſſe eo ordine, quem nunc in volumine conſpicimus, idque hiſtoriæ, & chronologiæ repugnaret. In Maronitarum pſalterio ſubſequens legitur titulus „ pſalmus primus eſt hiſtoria concionis „ de optimis modis Canonis novem beatitudinum, quæ ſunt in Sancto Matthæo “, quem S. Rom. Eccleſia approbavit. Certum tandem eſt, quod in perantiquis codicibus hebraicis, atque hodiernis impreſſis nullus apparet titulus, nullaque inſcriptio.

Qui non abiit. Alii „ qui non ambulavit “. Radix enim הילך halah nobis exhibet, ambulare cum quadam peculiari delectatione. *In conſilio impiorum*. Nonnulli legunt „ iniquorum “. Hebræus habet רשעים reſciahhim, ex hujus nominis acceptione intelligitur homo amore, atque concupiſcentia divitiarum commotus, & quidquid flagitioſum eſt, non veretur committere. Theodotio quinta, & ſexta editio habent „ perfectus ille junior, qui non abiit in conſilio alienorum “.

Et in via peccatorum non ſtetit. Alii „ flagitioſorum “. Symmachus „ & in „ opinione peccatorum non moratur “. Hebræus חטאים chataim illi, nempe, qui parata voluntate, animoque indurato, non humana imbecillitate peccant.

In cathedra peſtilentiæ LXX. ſcribunt „ in cathedra peſtium “. Apud Hebræos eſt לצים letſim, hoc eſt, irriſorum, quod nomen numeris omnibus illorum hominum vitam exprimit, qui divina Domini præcepta irrident, atque humana jura; & cum iſti humani generis merito peſtis ſint, pulchre vulgata retinet *in cathedra peſtilentiæ*.

Folium ejus non defluet. Apud Hebræos non eſt diffluere ſicut aqua, neque ſimpliciter cadere, ſed propter membrorum ariditatem deficere, ita ut ſtulti, ac fatui evadant.

PSAL-

PSALMUS II.

ARGUMENTUM.

Chriſti Domini regnum demonſtratur. Quid eidem eveniet tum ex Gentilium, tum Hebræorum parte declaratur.

℣. 4. Eos. Declarationis cauſa a Tranſl. poſitum fuit Et.

℣. 7. Præceptum ejus. Additum apparet Ejus.

℣. 8. Tibi. Non extat in Hebræo.

℣. 12. Irascatur dominus. Hebraicus textus Dominus reticet. Justa. Eodem modo: fieri potuit incuria Librariorum ex margine, ubi forſan ab aliquo declarationis gratia poſitum fuerat, in textu collocatum fuiſſe.

ANNOTATIONES.

APud Hebræos ſine titulo apparet. Idem teſtatur Theodoretus in explanatione 1. pſ. In Codice Vaticano, texte Marino, pſalmus præſens ſecundus numeratur, atque in editione latina ita citatur ab Ap. act. 12. In aliquibus exemplaribus cum primo conjungitur. Quidam volunt, præteriti partem eſſe. Verum in pluribus codicibus emendatioribus ſecundus legitur, quamvis Juſtinus mart. & Tertullianus contra Marc. tanquam primum recognoſcant.

De Meſsia omnia hic tradita intelligunt Patres, & Rab. Salomon, Abenezra, Kimhi: immo R. Salomon docet, quæ in hoc pſalmo narrantur, David convenire non poſſe, alio loco contraria ſibimetipſi tradit.

Quare fremuerunt gentes. S. Cypr. adv. Jud. legit „ ad quid tumultuatæ „ ſunt gentes? Aquila „ Ut quid tumultuatæ ſunt “. Sym. „ ad quid gentes turbant “. Hebræus habet רגשו raghesciu, quæ quidem vox, juxta Hebræorum doctores, præſertim R. David, collectionem, ac inſurgentem multitudinem ſignificat, unde ſecundum illos eſt explicanda ſententia præſens „ ut quid turmatim ſe congregant “.

Gentes. Hebræis eſt גוים goim, pro gentilibus accipitur. *Dirumpamus vincula.* In textu legis ננתקה nenattekah, quod eſt violenter extirpare, evellere, ſolvere. LXX. interpretati ſunt verbum עבתימו abetemo jugum, quod apud hebræos eſt vinculum, funis. R. David aſſerit funes fortes ſignificare.

Tunc loquetur. Ex hebræorum aliquibus, juxta Gen. vertitur *Occidet fortes eorum:* verum hujus erroris occaſio verbo דבר dabar tribuitur, cum mutatis punctis, peſtem ſignet, ex quo morbo innumeri naturæ cedunt. Tamen omnes alii *loquetur ad eos legunt.*

Conturbabit eos. LXX. *conturbabit timorem afferendo.* Hebræus habet יבהלמו jebahelemo, nempe, *præcipitem timorem inferre*, commotionemque mentis fugam meditantis.

Ego autem conſtitutus ſum Rex. Aquila, & quinta editio habent „ Ego in„ columen præſtiti regem meum “. *Sym.* Ego unxi regem meum. Sexta editio, Ego ſalvavi regem meum. Hebræus נסכתי מלכי naſacti malchi Unxi regem meum, principem creavi. Rab. Aben Eſra explicat, Regem creavi, ordinavi: Auguſtinus ſic exiſtimat, LXX. vertiſſe verbum נסכ paſſive.

Super Sion. Mons eſt, ubi filius David Salomon Domino Deo templum ædificavit, ad ſeptemtrionem veteris Jebus, ſive Jeruſalem. Ad latum oppoſitum montis civitas David conſpiciebatur. Quamvis autem in ſacris litteris mons Sion templi Domini ſedes habeatur, certus tamen ejus locus in monte Moria in altera Sionis plaga conſtitutus eſt. Relandus putat, montem Sion prope meridiem poſitum potius, quam Septentrionem urbis eſſe: ejus rationes lege in pſ. T. 2. Præter prædictum montem exiſtit altera Sion civitas tribus Iſſacar, in vulgata Seon. Ejus poſitio, juxta D. Hier. ad montem Tabor erat. Demum alterius montis Sion nomen eſt, alias Hermon.

Ego hodie genui te. Aliqui propter te. ילדתיך jelidttiha quod Judæi *peperit*, explicant, *generavit*. Radix ילד jalad proprie *parere* innuit: in conj. vero hiphil, *gignere*.

Reges eos. Aliqui *paſces eos*. Apud heb. eſt תרעם teroem a radice רעה raghah *paſcuit*; quam lectionem ſequitur etiam S. Joan. Ap. 2. 27. & *19.* 15. Rabini maſſorethæ converſis punctis legunt *conteres*, & quamvis juxta Steuchum hæc ſit optima lectio, tamen LXX. potius, & D. Hier. eſt adhærendum, qui verbum illud *regere* tranſtulerunt a radice רעה, minime vero a רוע, quod eſt *frangere*.

Modo Rab. Maſſorethas nuncupavi, quorum denominatio, a מסר maſar oritur, hoc eſt *tradidit*. Primi igitur hebræorum doctores maſſorethæ dicti ſunt, eo quia ſacri textus lectionem determinarunt, additis punctis, vocalibus, atque marginalibus notis, quæ in Bibliis hebraicis impreſſis leguntur, ex quo contigit perpetua, & conſtans ſacrorum librorum lectio uniformis. Cum enim apud hebræos mos invaluerat ſine vocalibus ſcribere, ſonumque verborum determinare a quibuſdam traditionibus a patre in filium derivatis, traditione autem ſtatutum eſt, quod in ſingulis locis, ubi forte occurrerunt, eadem vocabula ſignificationem obtineant, quam quidem traditionem Maſſorethæ ſtabilem punctorum vocalium ope effecerunt. Unde illis nomen Maſſorethæ inditum eſt, illorumque operi Maſſorà, nempe *traditio*. Quo tempore vero extiterint, incertum eſt apud criticos, communior ſententia eſt, anno D. 500. floruiſſe.

Apprehendite diſciplinam. S. Cyp. lib. *1*. epiſt. 11. habet „ Continete diſci„ plinam ". Aquila: Oſculamini electe. Sym. Adorate pure. D. Hier. vertit ab hebræo „ oſculamini filium ". Hebraicum nomem בר bar filium innuit, triticum, ſpicarum faſciculum, electum, purum; ex quibus verſionum varietates concordare poſſumus. In Dei populo mos laudabile erat, ut ſi quis princeps creatus eſſet, ad oſtendendum animi obſequium, genua, manuſque oſculabatur principis populus. Ideoque ſenſus erit, Filium, qui a Deo conſtitutus eſt Rex, totiuſque Orbis Dominus, adorate pure. Et ſecundum LXX., apprehendite diſciplinam, legem ejus, nempe, ſervate conſtanti animo, & corde puro atque perfecto.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS III.

ARGUMENTUM.

Perſequente Abſalom patrem ſuum David, ipſe in Deo ſpem ponit, ac adjutorium poſtulat.

TITULUS.

Canticum David, quum fugeret a facie Abſalom filii ſui. Heb.
Pſalmus ipſi David, cum fugeret a facie Abſalom filii ſui. LXX.

℣ 3. Ejus. Ut clarior redderetur ſententia Transl. poſuerunt.

℣. *6.* Et. Neque in hebræo, neque in græco habetur: in aliquibus codicibus extat.

℣. 8. Tu. Ex vi ſermonis auctum.

℣. *9.* Et. Deſideratur in textu hebraico: ejus tamen poſitio in vulgatis alium reddit ſenſum.

ANNOTATIONES.

PRimus pſalmus eſt, qui titulum præſeferat. Pſalmus: alii canticum. Hebraice inſcribitur מזמור mizmor, quod vere, & proprie ſignificare exiſtimant nonnulli artificioſam modulationem, quæ modulos, & numeros habeat. Carmen alii exponunt. Syriaca verſio legit „ Pſalmus tertius ſcriptus a Davide". In LXX. Theodotione, & Sym. bis hoc in pſalmo legitur *Diapſalmo*: in hebræo *ter Selah*: quinta vero editio habet *ſemper*. De hoc a D. Hier. diſputatum eſt in epiſt. ad Marcellam. Didymus obſervat, præſentem pſalmum in tres diviſum eſſe partes, duobus diapſalmatibus intercluſum.

Domine quid multiplicati ſunt. Alii : *Quam multo.* Hebræis eſt מה mah *quid.* Nec verum apparet, quod Eugub. demonſtrare videtur, illum מה ſignificare *quam*, *quantum*, *etiam*; nam quamvis hæc omnia denotet, tamen hoc in loco *Quid* eſt interpretandum, uti D. Hier. interpretatus eſt.

In hujus verſiculi fine hebraicum סלה Selah reperitur, quod verbum LXX. Theodotion, & Symmacus diapſalma verterunt. Porro diapſalma juxta D. P. Auguſtinum nihil aliud eſt, quam interpoſitum in canendo ſilentium, ſive toni mutatio ſecundum Theodoreti, & Suidæ explicationem. D. Hier. ait „ diapſalma „ dixerunt eſſe commutationem metri, alii pauſationem ſpiritus, nonnulli alte- „ rius ſenſus exordium, ſunt qui rythmi diſtinctione". Autumantes non deſunt inter veteres, vocem Selah ſignum eſſe emotionis ſpiritus in propheta. Inter vero recentiores ſententia pollet, ſignum alicujus antiquæ notæ, cujus nunc virtus ignoratur. R. Aben Eſra ſuſpicatus eſt *Amen* denotare. Doctiſſimus R. Kimki adjudicat nil prorſus ſignificare, quam vocis mutationem in cantore, ut audientium animi ad divina excitentur beneficia meditanda.

Tu autem ſuſceptor meus. Heb. habet מגן maghen clypeus, ideo juxta intimam verbi virtutem, accuratam protectionem demonſtrat.

Et

Et ſomnum cœpi. Idque ſecundum LXX. vulg. retinet, *& ſoporatus ſum.* Sic ſuis temporibus D. P. Aug. notat in aliquibus codicibus extitiſſe.

Ego dormivi. Juxta vim verbi non eſt quieſcere quomodocumque, ſed dormire ſine metu.

Circumdantis me. Daniel Barbarus in ſua catena habet „ Pariter contra me „ inſidias ſtruentis “. Verbum סוח ſut, ideam nobis exhibet inſidiarum, munitionum paratarum ad aliquem expugnandum.

PSALMUS IV.

ARGUMENTUM.

In perſecutione conjuratorum auxilium a Deo poſtulat, & ut ipſi reſipiſcant, deprecatur. Se ab illo liberaturum eſſe ſperat. Ut bona a Domino poſtulent omnes hortatur.

TITULUS.

Victori in neghinoth, pſalmus David. Heb.
In finem in pſalmis canticum ipſi David. LXX.

℣. 3. Et. Non legitur in hebræo.

℣. 4. Me. Additum, in textu non apparet.

℣. 5. Quæ. Ut ſupra: ex quo fit, ut ſenſus tantisper varietur. Compungimini. Hebræus addit ו vau, particulam nempe copulativam.

ANNOTATIONES.

Verbum למנצח lamnatſeach græci interpretati ſunt in finem; ideoque ſenſus ſit, præſens oratio uſque ad vitæ extremum ſit dicenda. Aquila tranſtulit *victoriæ effectori.* Sym. *Carmen triumphale*, eo quia victoria conſequuta, lætabandum ſit carmen cantandum. Juxta Berl. harum varietas interpretationum orta videtur ex additione litteræ מ mem, & punctorum vitio librariorum, unde cum ita ſit, LXX. apparet legiſſe לנצח lannetſach *in finem.* Temporibus LXX. Aquilæ, & Sym. puncta vocalia non extabant, ſicuti nunc imprimuntur, ideo librariorum vitio tribui nequit. Interpretum ſeniorum maxima eſt auctoritas, ac firmiter credendum eſt, præ manibus meliores, accuratioreſque hebraicos codices habuiſſe. In vaticana, ut accepi, codex reperitur hodierno hebręo reſpondens, quem Origenes ſequitut. S. P. Aug. *in finem pſalmus cantici David* legit.

Neghinoth. Calmet in ſuo Dict. hiſt. putat, quod in illo pſalmo alloquatur chorearum pręfectus, quæ in ſacris ceremoniis ducebantur, aut muſicorum chorus, qui tibiis canebant. Hebræorum doctores vero docent vel ipſa muſica inſtrumenta, vel pſaltrices fœminas ſignificare. Certum eſt, quod verbum נגן naghan *inſtrumentum canere* denotat.

Cum invocarem exaudivit me. Alii *reſponde mihi.* Heb. habet ענני anneni tamquam imperativi modi, *exaudi me*, uti Rab. Maſſorethæ obſervarunt.

Filii hominum. Hic non de quocumque homine eſt intelligendum, at de pręclaro, & illuſtri, nam textus hebraicus non exhibet בני אדם benè adam,

quod

quod juxta Judęos ſunt infimæ notæ viri, verum בני איש benè aiſe, ex quo hominis præſtantia exurgit quoſque propheta increpat gloriam obtenebrare ſuam in mendaciis, atque ignominiis.

Iraſcimini & nolite peccare. Aquila vertit *tacete.* S. P. Aug. afferit, nonnullos ita dixiſſe, melius legi *aperimini*, quam *compungimini.* Apud S. Cyp. in orat. dom. ita obſervatur: „ Dicite in cordibus, & in ſtratis veſtris, & tranſ- „ pungimini “. Alii *contremiſcite* a verbo hebraico רגז ragaz, quod non *contremiſcere* ſolum oſtendit, ſed etiam *iraſci.* Uterque ſenſus ſtat, prior propter hebræorum formulam per imperativum *iraſcimini nolite peccare.* Secundus *contremiſcite*, Deum timete, ne pecceris.

Compungimini. Alii *meditamini cum ſilentio*; quæ quidem verſio accedit ad hebraicum verbum דמם dimam, *ſilentium*, unde Pagn. vertit „ Loquimini in cor- „ de veſtro ſuper cubili veſtro, & tacete “.

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui. Alii *leva ſuper nos vexillum.* Legitur in hebræo נסה neſach, nempe, eleva, ex alio lucem vultus tui, non vexilli, ait enim אור פניך or panecha, non vero נצך netſeha.

In pace in idipſum. Quæ ſit hebraicæ ſententię vis, hic obſervandum occurrit, habet enim textus יחדו jahdau, non ſimpliciter יחד jahad, hoc eſt, ſimul, ſed vau addit ad oſtendendam ſummam unitatem.

PSALMUS V.

ARGUMENTUM.

A Saule, ejuſque aſſeclis Sanctus Rex vexatus eſt, affectu vehementi a Deo auxilium poſtulat. Miſericordia divina fretus, ſe Jeruſalem reverſurum ſperat ad adorandum Dominum cum fidelibus regni ſui.

TITULUS.

Victori ſuper neghinot canticum David. Heb.
In finem pro ea, quæ hereditatem conſequitur, pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 5. Neque: Juxta. Deficiunt in hebræo.
℣. 7. Omnes. Ob majorem declarationem a Transl. poſitum.
℣. 11. Domine. Ut ſupra.
℣. 12. Omnes. Sicuti in ℣. 7.

ANNOTATIONES.

HEbræorum doctores in hujus pſalmi titulo minime conveniunt: aliqui ex veteribus Rabinis autumant, verbum neghinot muſicale inſtrumentum ſignificare: ceteri ſic explicant „ pſalmus David ſuper hereditates “ qui cum LXX. & D. Hier. conveniunt, quibus & nos inhęremus, potius quam Rabinis, licet peritiſſimis. Hujuſcemodi explicationis varietas ex immutatione alicujus litterę orta apparet, ex tam longa diuturnitate temporis.

In-

Intellige clamorem meum. Alii *murmur meum.* Heb. vero eſt הגיגי haghighî *meditationem meam.* Linguæ ſanctæ pulcher eſt idiotiſſimus: nam quid eſt meditatio, niſi cordis fervens clamor?

Mane adſtabo tibi. Textus legit. „ mane præparabo tibi orationem “. Sic Pagn. vertit; atque hebræorum commentatores, ita ut ſenſus ſit, mane ordinabo me, & opera mea judicio tuo in oratione. S. Cyp. habet „ mane aſſiſtam tibi, & „ contemplabor te “. Orig. Ath. Euſ. Didy. ut vulg. retinent. Quorum ultimus notat, ibi accuratam, ac aſſiduam cogitationem exprimi.

Non permanebunt injuſti. τὸ injuſti hebraice vocantur הוללים holelim, ſuorum operum laudatores, ſuperbi veſani propter iniquitates.

Viri ſanguinum. Hebraiſmus eſt, pro *ſanguinarii*, & ſuper homicidia exultantes.

In conſpectu tuo viam meam. S. P. Aug. legit *iter meum.* Theodoretus utramque lectionem adprobat. D. Hier. ad Suniam ſcribens ſuper verba modo allata aſſerit, non eſſe neque LXX., neque Aquilæ neque Symmaci, neque Theodotionis, ſed ſolius editionis communis. Nam Aquila vertit „ Dirige ad faciem „ meam viam tuam “. Sym. „ Complana ante me viam tuam “. Sic etiam heb. דרכך darcheha, ideſt, *viam tuam.*

Impietatem eorum. Extat in hebræo פשעיהם piſgheham. Linguæ ſanctæ tractatores monent, verbum פשע peſagh, deliberatam peccandi voluntatem denotare, virumque contra Deum rebellem.

P S A L M U S VI.

A R G U M E N T U M.

Pœnitentis typum ſe exhibet in hoc pſalmo David, miſericordiam petens pro patrato peccato cum Berſabee.

T I T U L U S.

Victori in neghinoth ſuper octavam, canticum Davidis. Heb.
In finem in hymnis pro octava, pſalmus ipſi David. LXX.

℣. II. Vehementer, valde, velociter. τὸ valde caret hebræus. D. Hier. fatetur, non haberi vocem illam vehementer.

A N N O T A T I O N E S.

Pro *octava*. Ita etiam S. Amb. lib. 5. in Luc. lectionem illam uſitatam cognoſcit. Qui *ſuper octavam* legunt, genus eſſe citharæ octo chordarum exiſtimant, quodque inſtrumentum in Lib. 1. Paral. cap. 15. inter alia memoratur.

Domine in furore tuo . . . . neque in ira. D. P. Auguſtino primum *in ira* legere placuit, deinde *in furore*, quia ſentit, furorem aliquid ſuper iram addere. Lindanus in verbum illud *in ira*, furorem vehementem explicat abſque venia.

Corripias me. Hebraici verbi vis eſt, conſtringes, cohibebis me. *Infirmatus ſum.* Alii *debilis.* verbum אמלל umlal interpretatur viribus imbecillis, pariter ad animi ægritudines extenditur.

Con-

Conturbata ſunt oſſa mea. Per emphaſim ſubitum per totum corpus timorem intenſum innuit. *Et in inferno.* Obſervandum eſt, nomen שאול Sciaul multiplicis eſſe ſignificationis, locum damnatorum, foveam, ſepulchrum oſtendere: hic pro damnatorum habitaculo accipi poteſt.

Turbatus eſt a furore oculus meus. Quid fortius deſiderari poteſt, quam hebraicum affatum? A radice עש ortum ducit verbum עששה oſſciah, nempe, corrodere, depaſcere, ideo lectio erit „ Corroſus eſt præ furore oculus meus": quo humorum oculis conſummatio contingit, & viſivæ privatur potentiæ, D. Hier. Caligavit, vertit.

Velociter. Aliquid plus pene hebræos רגע naghaa in ictu oculi, in inſtanti.

PSALMUS VII.

ARGUMENTUM.

Ut finem perſecutioni Saulis ponat Deus David petit, regnumque promiſſum obtineat. Propriam demonſtrat innocentiam.

TITULUS.

Siggajon Davidis, quod cecinit Jehovæ ſuper verbis Chus filii Jemini. Heb.
Pſalmus ipſi David, quem cantavit Domino pro verbis Chuſi filii Jemini. LXX.

℣. 5. MERITO. Hebræus hac dictione caret.

℣. 7. ET. Ut ſupra.

ANNOTATIONES.

SIggajon tamquam muſicum inſtrumentum concipiunt nonnulli; alii *ignorantiam* explicant, nempe, orat ut ignorantiæ reatum Dominus remittat, propter quod in manus Saulis ne tradatur. Hier. Bellar. Haye, & alii quamplures ſub nomine Chus Saulem recognoſcunt, illum vocando Æthiopem ob morum nigritudinem: filius vero Jemini, quatenus de domo Jemini erat.

Nequando rapiat. Ex hebræo aliqui *ne forte* vertunt פן pen, ex quo clarior ſententia redditur.

Non eſt qui redimat. Heb. eſt פרק porek laceret, diſcerpet; quo in caſu ad leonem refertur. Verbum modo allatum redimere etiam demonſtrat.

Si reddidi retribuentibus. Variat in lectione textus, habet enim שלמי Sciolmì pacificis meis. A quo Eccleſiæ Patres, atque Rabini argumentum pro inimicorum dilectione deſumunt.

Conſumetur. Sym. legit *compleatur malum, & pœna impiorum.*

Gladium ſuum vibravit. Hebræis eſt *polivit, acuit* a radice לטש latas, inde majore donata eſt emphaſi verſiculi ſententia.

Sagittas ſuas ardentibus effecit. Duplicis ſignificationis ab omnibus dignoſcitur verbum לדלקים ledolkelim, *in ardentes* nempe, & *in perſequentes*: noviſſimum ſenſum hebræi amplectuntur; verum uterque conveniens eſt. Vide expoſ. pſ. LXX. legunt „ Sagittas ſuas ardentibus operatus eſt". Sym. *ad ardendum.*

Concepit dolorem. Præter dolorem, iniquitatem etiam, peccatum hebraicum nomen עמל amal importat.

PSALMUS VIII.

ARGUMENTUM.

In omnibus Dei operibus, omnipotentia ejus maxime elucet. Chriſto ſubjecta eſſe omnia prædicit.

TITULUS.

Victori ſuper haggittith pſalmus Davidis. Heb.
In fine pro torcularibus, pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 4. Videbo cœlos tuos. τὸ tuos græcus non habet: attamen in hebræo reperitur שמיך Scemaha cœlos tuos. Theodotion in LXX. addidit ſub aſteriſco. Ita etiam Origenes in translatione Theodotionis.

℣. 7. Et. Deſideratur in hebræo.

ANNOTATIONES.

QUid, vel cujus ſignificationis ſit nomen haggittith difficile eſt divinare, ideo ad muſicale inſtrumentum Rabini confugiunt. Pari modo ſuper verba *pro torcularibus*, ad miſticum ſenſum eſt recurrendum. R. Salomon in hujus tituli expoſitione aſſerit, ac docet „ Quod pſalmus iſte David aptus eſt de„ cantari in tali inſtrumento, eo quod diverſi cantus, diverſis inſtrumentis ap„ propientur". Alii quoque veteres Rabini *pro torculari* Eſau intelligunt, quod ex verbis Iſaiæ colligunt, ubi dicitur „ Quis eſt iſte &c." & reſpondet *torcular calcavi ſolus.* Quæ ſcriptura, proſequuntur, de Meſsia loquitur, in cujus adventu Romanum regnum Edom ſubiiciet, eritque hebræorum imperium. Lacrymabilis cæcitas!

Ex ore infantium perfeciſti laudem. Aquila „ ex ore parvulorum fundaſti poten„ tiam". Id hebræo conveniens. Sexta editio „ Conſtituiſti fortitudinem".

Minus ab Angelis. Hebraicum verbum אלהים elohim, Deo, Angelis, principibus, magiſtratibus commune eſt, ideo Theodotio, & quinta editio legunt „ bre„ ve quiddam, & paululum quiddam a Deo". Melius cum LXX. & D. Hier. *minus ab angelis.*

Coronaſti eum. In textu in futuro verbum *coronaſti* poſitum eſt. Mos invaluit apud gramaticos hebræos futurum pro præterito, præteritum pro futuro collocare medio ו vau converſivo.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS IX.

ARGUMENTUM.

Accepta de inimicis victoria gratias Deo dicat, & ut juſti ab inſidiis tueantur, deprecatur.

TITULUS.

Victori ſuper Muth-Labben, Canticum Davidis. Heb.
In finem pro occultis filii, pſalmus David. LXX.

℣. 2. Tibi. Ex vi ſermonis ſubintelligitur, licet in hebræo non legatur.

℣. 7. Eorum. Incuria librariorum additum, cum in hebræo non habeatur. Aut dicendum vulg. legiſſe עירם iram tranſpoſitis litteris, *civitatem eorum*, nunc vero in impreſſis eſt ערים arim, ideſt, *civitates*. τὸ *eorum* apud græcos non extat.

℣. 8. In judicio. τὸ *in* apud Vulg. redundat, ob id diverſus redditur ſenſus; non ablativi caſus, ſed dativi eſt apud heb. ex quo idiotiſmus elegans exoritur.

℣. 9. Terræ. Declarationis gratia a Transl. additum.

ANNOTATIONES.

HEbræorum doctores putant, hic David de morte alicujus gentilis regis nomine Labben mentionem facere, qui Dei populum anguſtiis detinebat: verum de hac re nullum omnino exiſtit teſtimonium, proindeque rabinicum commentum reiiciendum putamus. Ad alias expoſitiones cæteri deveniunt, uti videre eſt apud doctiſſimum Lorinum. Neque audiendi ſunt, qui pſalmum hunc a Davide compoſitum fuiſſe in filii ſui Abſalom interitu: nam S. P. Auguſtinus obſervat, in morte filii ſui lugubre, non lætabundum carmen cecinit dicens „ Fi„ li mi Abſalom, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te " in hoc vero peculiarem præſefert lætitiam. Aliquorum ſententia oſtendit, lætari David ſuper mortem primogenitorum Ægypti, ſed R. Samuel ut inconvenientem illam reiicit. Symm. & Theodoretus legunt „ Pro morte filii canticum David ". Theodotio, & quinta editio „ Effectori victoria pro urgente ætate filii ". Sexta editio „ In finem „ juventus ". In hac multiplici ſententiarum varietate cum Calmet exiſtimandum eſt, Ben nomen alicujus celeberrimi cantoris extitiſſe, uti in Paral. apparet.

Obſervari debet, præſentem pſalmum in duas dividi partes, in codicibus Hebraicis, Chaldaicis, ac cæteris verſionibus. Prima pars, quæ pſ. nonum conſtituit, ad verſiculum 21. perducitur.

In convertendo inimicum meum. D. Hier. legit „ Cum ceciderint inimici mei ". *Infirmabuntur.* Verbum בשל caſcial exprimit, aliquem pedibus infirmari, verum corruere, impingere etiam ſignificat.

Feciſti judicium meum. S. Joan. Cryſoſt. habet „ Judicaſti pro me " alii *vindicaſti me*, apud heb. eſt ſicuti Vulg. דיני dini, nempe, judicium meum a radice דין din judicavit.

Digitized by Google

Periit impius. Heb. habet אברת ibbarta, *perdidiſti potenter.* Lorinus hic notat, LXX. *periit* explicaſſe, ne Deo perditionem tribuerent.

Frameæ in finem. Aquila vertit *ſolitudines*; ita D. Hier. Symm. *Ruinæ*: alii *deſolationes* חרבות chorabot; quando inſcribitur cum cateph cametſ, loca deſerta innuit, vaſtitates, ſolitudines; Pagn. in hoc ſenſu explicavit; Si vero cum cateph phatah, gladium ſonat. Hæc ultimam retinet ſignificationem.

Cum ſonitu. S. P. Aug. legit *cum ſtrepitu.* In hebræo eſt המה hemmah, hoc eſt, *cum ipſis*; ita D. Hier. Pagn. & alii. Verum hebraici nominis virtus eſt *fremere*, *edere tumultum*, *ſtrepitum*, quod de peccatoris morte loqui liceat. Vide exp.

Paravit in judicio. Aquila, & Symm. vim verbi intimam explicarunt *firmavit*, id oſtendit כונן conen..

Factus eſt Dominus refugium. Nonnulli *elevatio*, *munimentum.* Hebraica dictio emphatica eſt, nam verbum משגב miſgab eſt locus in alto poſitus, arx munita, ad quam nulla poteſt calamitas accedere, neque adverſa fortuna. *Studia ejus* S. P. Aug. legit *mirabilia ejus.* Symm. *artificia.* Aquila. *commutationes.* Joan. Cryſ. *machinamenta*, *& molitiones ejus.* Hebræis eſt עלילותיך alilotav opera memorabilia, inſignia.

Infixæ ſunt gentes in interitu. S. Hier. interpretatus eſt „ demerſæ ſunt in „ interitu “. שחת Sciachat etiam foveam denotat.

Patientia pauperum non peribit in finem. Vox עד hhad nullum ſua natura præfinit tempus, ſic verti poteſt, ad longam durationem. Quamplurimi ad præmonſtrandam æternitatem nomen illud accipiunt.

Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eum. Aquila „ pone Domine terrorem eis “ cui D. Hier. convenit. Heb. מורה morah timorem intenſum exprimit.

Secundum Hebræos hic altera pars pſalmi incipit.

Dum ſuperbit impius, incenditur pauper. Alii in ſuperbia impii ardet pauper. Apud alteros „ propter ſuperbiam improbi, perſecutionem ſuſtinebit pauper “. In heb. eſt בגאות beghavat in ſuperbia, præ ſuperbia. Verbum ידלק idlak a radice דלק dalak ſibi vult & *perſequi*, & *ardere*, unde utrumque ſenſum amplecti poteſt. Pagn. eſt interpretatus „ Præ ſuperbia impius perſequitur pauperem “.

Quoniam laudatur peccator. Alii „ quoniam hymnum dixit ſuper cupiditate „ animæ ſuæ, & avarus benedicens infamavit Dominum “. In hebræo habetur הלל hillel, hoc eſt, lauda, vel laudat ſemetipſum. D. Hier. vertit „ quia laudavit „ impius “. Hic obſervare juvat, LXX. verbum הלל pro hullal ſumpſiſſe, ideoque ibi legitur „ laudatus eſt, vel laudatur “. *Et iniquus benedicitur.* Apud Cajet. vidimus „ Et avarus benedixit ſeipſum “ & bene quidem, nam בצע betſeghille eſt, qui lucro illicito, vel licito opes congerat, ex quo iniquitas avaritiæ oritur, ac ſui ipſius exiſtimatio.

Exacerbavit Dominum. Si verbum נאיץ niets examinetur, nobis exhibet exprobrationem, abjectionem, blaſphemiam, quæ omnia iniquus peccando efficit, atque in illo verbo, quaſi peccatoris interiores affectus intuemur.

Inquinatæ ſunt viæ illius. Recentiores interpretes ita legunt „ proſperabun- „ tur viæ illius “. Verum hebraicum verbum יחילו jachilu videtur exprimere, dolore afficiunt viæ ejus, ſicuti Pagn. etiam placuit.

Qui proſperabuntur. Volunt aliqui radicem hujus nominis חקל chakal, quod interpretatur, *divitem eſſe*, *munitum*, *robuſtum*, & ſicuti hæc omnia ſine proſperitate minime dentur, ideoque *proſperabuntur* explicarunt. Cui vero aliam placuit

ex-

explicationem, dicti nominis radicem חול chul cognoſcunt, quod parturire ſignificat. LXX. חלל chalal uſi ſunt, quod eſt inquinare, vulnerare.

Auferuntur a facie ejus judicia ejus. Notat Heſychius, ſic dictum eſſe, ut intelligatur viciſſim, & ex adverſo tolli; nam cum Deus comminatione judicii peccatum auferre velit, diabolus ex adverſo illius comminationis memoriam aufert. Theodorus Antiochenus animadvertit, Symm. pro *inimicorum ſuorum dominabitur* dixiſſe, *omnes inimicos ventilat. In altitudine.* Non deſunt, qui accipiant verbum מרום marom pro epitheto Dei, ita ut ſenſus ſit „ O Deus qui „ altus es.

Et amaritudine, & dolo. Obvia hebraici nominis מִרְמוֹת mirmot explanatio eſt *fraus*, ſic interpretatum legimus apud S. Hier. Sed cum מרה marah, & תוך toh æquivocæ ſignificationis ſint, LXX. poſuerunt *amaritudine, & dolo.* Pagn. habet *dolis*, & *fraude*, quæ explicatio, uti vidimus ex D. Hier. conſtat. *Sub lingua ejus labor, & dolor.* Aliqui *iniquitas, & vanitas.* עמל amal laborem ſignat. Vatab. pro *vanitate* explicat.

Sedet in inſidiis. Sic etiam D. Hier. Symm. „ Sedet inſidians juxta veſtibula „ in abſconditis, ut interficiat innocentem ". Hæc interpretatio ex vi hebraici nominis videtur exorta, nam חצרים chatſerim *atria* demonſtrat, quæ ſi diruta, ac deſtructa conſiderentur, latronum habitaculum efformatur ad inſidias parandas viatoribus, atque cum in deſertis ſint locis, ibi, ne reperiantur, commorant.

PSALMUS X.

ARGUMENTUM.

Qualis extiterit Davidis in Deo fiducia, ac ſpes, in hoc pſalmo cognoſcitur: ſuadentibus illi fugam amicis, in tuto ſe eſſe poſitum reſpondit.

TITULUS.

Victori Davidis. Heb.
In finem pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 6. Enim. Hebræus reticet.
℣. 10. Ad. Ut clarior redderetur ſententia, illud tranſl. poſuerunt.
℣. 11. Enim. Ut ſupra.
℣. 12. Deus. Aliqui ex græcis meus addunt, in hebræo non habetur.
℣. 13. Enim. Ut ℣. 11.
℣. 15. Et. Ut ſupra.

ANNOTATIONES.

Quæ ad titulos attinent jam ſuperius dicta in mentem ſunt revocanda. Veteres Judæi preſentem pſalmum de Ezechia exponunt. Catholici expoſitores ad myſticum recurrentes ſenſum, de hæreticis explicant.

Pa-

Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra. Aquila, & Symm. habent „ firmaverunt ſagittam ſuam ſuper nervum " ita pariter S. Hier. Verbum יתר jeter nervum ſignificat. At hoc in loco vulg. majorem exhibet emphaſim dicendo in pharetra: nam qui illa utitur, multas defert ſagittas ad jaculandum.

Quæ perfeciſti deſtruxerunt. Aquila vertit „ quoniam fundamenta deſtruentur ". Symm. „ quia leges diſſipatæ ſunt " cui D. Hier. convenit. Hebræi legunt השתות haſciatot, quod aliqui *retia* explicant: attamen radix שות *fundavit*, *poſuit* innuit, atque per translationem *fundamenta* interpretantur Judæi.

Pluet ſuper peccatores laqueos. Didymus notat, *pluviam abundantem* hic exprimi. Hebræis eſt פחים pachim, quæ vox extenditur ad *laqueos*, ad *carbones*, & *prunas*.

Æquitatem vidit vultus ejus. Bremd. ex hebræo vertit „ rectum intuetur „ vultu ſuo": hebraica dictio ambigua eſt פנימו penemo *vultus eorum.* Verum omnes interpretes habent *vultus ejus.* & licet מו mo ſit pluralis numeri, aliquando etiam pro ſingulari ſumitur, ut videre eſt in Job 22. עלימו alemo *ſuper eum*, quam quidem explicationem, atque ſententiam linguæ ſanctæ periti omnimode approbant.

PSALMUS XI.

ARGUMENTUM.

In medio iniquorum hominum ſe reperiens David, ne cum illis perperam operetur, Deum orat.

TITULUS.

Victori ſuper octavam, canticum Davidis. Heb.
In finem pro octava, Pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 1. Sicut passer. ὡς Sicut Hebræus reticet, ex vi Sermonis ſubintelligitur.

℣. 3. Autem. Deſideratur in textu.

℣. 4. In pauperem. Ob majorem declarationem additum.

℣. 7. Justitias. Græci addunt Et. Sicuti ex latinis nonnulli. In Heb. deficit.

ANNOTATIONES.

PRo octava vel inſtrumentum octo chordarum eſt intelligendum, vel pro octava claſſe muſicorum, de qua in Paralip. mentio fit.

Quoniam defecit ſanctus. Aquila habet *caſtus.* Heb. חסיר cheſid miſericors pius.

Labia doloſa &c. Symm. „ in chorde alio, & alio loquuntur labia doloſa ". S. P. Aug. *loquuti ſunt vana.* Alii *labium blanditiarum.* Heb. emphatico modo שפת חלקות Sephat chalekot *labium diviſionum*, *diſperſionum*: qui enim duabus loquitur linguis, litigia, animorumque ſeparationem inducit.

Magnificabimus. Chryſ. *dominabimur.* Alii roboremus, quod hebræo reſpondet, נגביר naghbir magni evademus, lingua noſtra prævalebimus.

Pro-

Propter miſeriam inopum. Aquila vertit „ a vaſtitate *pauperum*, *a prolatu* „ *inopum* ". Symm. propter afflictionem inopum, propter ploratum pauperum. Alii propter vaſtitatem, violentiam. Hebraicum שוד Sciod, vere violentiam ſignificat.

Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo. Chryſ. *Evidenter ſalvabo.* Heb. ponam in ſalute eum, cui laqueum iniicit.

Probatum terræ. D. P. cum vulg. legit. Aquila „ Permeans, terræ defæcatum ". Hebræi habent „ excoctum in fornace terræ, defæcatum ſeptempliciter ". Ita etiam Pagn. ex quo apparet, qua mire varient illi in lectione hujus verſiculi.

Multiplicaſti filios hominum. S. Hier. „ cum exaltati fuerint viliſſimi filio- „ rum hominum ". Sexta editio *ſpreviſti*: Schol. ex Theod. „ propter fortitudinem „ tuam nobis diuturnitatem, & vitam æternam dediſti ". Didym. Nic. & Theodoretus „ Multa cura dignatus es ". כרם זלות לבני ארם eurumzulut libneadam, hoc eſt, cum exaltata fuerint opprobria, vilitates. Quæ quidem interpretatio explicationi D. Hier. convenit.

PSALMUS XII.

ARGUMENTUM.

In tam diuturna Saulis perſecutione auxilium a Deo poſtulat deſiderio viviſſimo, ac affectu.

TITULUS.

Victori canticum Davidis. Heb.
In finem pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 2. Me. A transl. appoſitum.

℣. 5. Est. Licet apud hebræos deficiat, ſubintelligitur tamen.

℣. 8. In æternum. Græcus conjunctionem addit, quæ in hebræo deſideratur, neque reperitur in Vaticano codice, teſte Marco Marini.

ANNOTATIONES.

CHriſtum adhuc venturum R. Salomon expectans, materiam hujus pſalmi verſari putat circa quatuor regna, per quæ filii Iſrael anguſtiis detinendi erant. Falſitatis notam præſefert totus illius rabini ſermo, ineptiis cavillationibus conditus, proindeque reiiciendus. Hic potius mœrentem conſpicimus animum, Dei opem implorantem ne perſecutoribus ſuccumbat.

Reſpice. D. Hier. vertit, *convertere.* Hebraicum verbum majorem exprimit vim, הביטה habitah, quod eſt, *intueri diligentiſſime.*

Si motus fuero. Plus verbum מוט mut explicat, nam proprie eſt vacillare, titubare, ad lapſum pronum eſſe.

Qui bona tribuit mihi. Solummodo apud hebræos reperitur גמל ghamal, tribuit. τὸ bona LXX. addiderunt.

PSAL-

PSALMUS XIII.

ARGUMENTUM.

Quæ nam ſit illorum impietas, qui Deum negant, hic David ob oculos ponit: iniquiſſimi injuſtitiæ fructus deſcribuntur.

TITULUS.

Victori Davidis. Heb.
In finem pſalmus David. LXX.

℣. 3. Per diem. Græci addunt etiam et per noctem.

℣. 6. Et psallam nomini Domini altissimi. Hæc omnia neque apud Hebræum, Chaldæum, Arabum exiſtunt.

ANNOTATIONES.

INter eruditos acerrime de argumento, & auctore hujus pſalmi differitur. Vide Corn. Janſ. Gand. Le Blanc. Vat. R. Salomon de Nabuchodonoſor intelligit, & in quatuor partes præſentem pſalmum dividit, ubi divina enumerat flagella, quibus Rex punitus fuit.

Dixit inſipiens. Nomen נבל nabal ſequentia importat, qui ratione, ſapientia, omni virtute vacuus eſt, inſuper nedum ſtultus, ſed ſceleſtis.

Non eſt Deus. אלהים elohim unum ex Dei nominibus, quod etiam Angelis, principibus, idolis, judicibus competit, uti ſuperius indicavimus. Ex contextu eſt diſtinguendum, cui tribuatur. Proprium, ac ineffabile, tremendumque Dei nomen יהוה Jehovah eſt, quod peculiari modo ſummus hebræorum ſacerdos ſemel in anno in ſancta ſanctorum expiationis die proferebat, nec ullus alius illud Jehovah pronuntiare audebat; quamquidem obſervantiam etiam nunc ſuperſtioſæ gentis reſiduum retinet, pro quo in libris divinis, Adonai legit. Veſani! tota die nomen illud adorabile blaſphæmant, in ſacris vero canticis pro reverentia eliminant.

Corrupti ſunt. Optime Vulg. ex hebræo vertit, nam שחת Sciachat propriam indicat corruptelam.

Cum averterit. LXX. *converterit* interpretati ſunt. D. autem Hier. *quando reduxerit.* D. P. Aug. ut vulg. habet. Hebr. legit בשוב baſciub, hoc eſt, cum converterit.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS XIV.

ARGUMENTUM.

Æterna gaudia ſperantibus viam David oſtendit, per quam ad illa perveniant.

TITULUS.

Canticum Davidis. Heb.
Pſalmus ipſi David. LXX.

In præſenti pſalmo tres ſequentes verſiculi non habentur, neque in hodierno Hebræo, Chaldæo, Syro, neque Græcis impreſſis. Olim in illis reperiebantur codicibus, vel potius dicendum ex Arabica translatione depromptos fuiſſe.

SEPULCRUM PATENS.
QUORUM OS.
CONTRITIO.

℣. 1. NON EST USQUE AD UNUM. Id a Tranſl. additum.
℣. 2. AUT. Non habetur apud Hebræos.
℣. 5. UBI NON ERAT TIMOR. Ex pſ. 52. hæc verba deſumpta ſunt; & hic a noſtris Tr. poſita.

ANNOTATIONES.

IN aliquibus græcis, & Latinis codicibus legitur *In finem*, qui titulus neque in hebræo, neque chaldæo, neque in translatione D. Hier. extat.

Quis habitabit. S. P. Aug. habet *peregrinabitur* cum aliis Patribus græcis, & D. Hier. ad Suniam ſcribens in quæſt. 5. pſ. explicationem modo dictam non improbat. Cæterum hebraicum יגור jagur migrationem ſignificat.

Qui ingreditur ſine macula. Simpliciori ratione, ac phraſi hebræi תם tam, ideſt, innocenter.

Qui jurat proximo ſuo, & non decipit. Didy. „ Non reddit juramentum factum proximo irritum ". Symm. „ jurans amicus eſſe, & non mutatur ". Aquila, Theod. & D. Hier. ex hebræo „ jurat proximo ſuo, ut ſe affligat ".

Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. Elegantius heb. נסך neſch *qui non dat in morſu*, quia veluti morſu de alienis aufert bonis.

Digitized by Google

PSALMUS XV.

LATINIS XIV.

ARGUMENTUM.

Licet inter alienigenas reperiatur David, firmiſſime tamen profitetur, ſe numquam venturum in partem ſacrificiorum idololatriæ, dum in ſolo Deo ſpem ponit.

TITULUS.

Michtam Davidis. Heb.
Tituli inſcriptio ipſi David. LXX.

℣. 1. Aut. Hebræus reticet.
℣. 3. Qui. Eodem modo.
℣. 5. Qui, Deſideratur apud heb.

ANNOTATIONES.

NOn una eſt auctorum ſententia circa prædictorum titulorum explanationem: cenſent nonnulli, præſentem pſalmum in tabulis ſcribendum fuiſſe, tamquam quid peculiare ac memorabile. Aquila, Symm. & D. Hier. verbum michtam in duas dividunt partes ſic *mac-tam*, nempe, David humilis, & integerrimi. Ex Rabinis aliqui vocitant, illius nominis radicem ſumi a כתב catab, *ſcripſit*, unde explicant *inſcriptio*. Non deſunt, qui putent vocem eſſe alicujus inſtrumenti muſici. Sed in hac opinione ſoli exiſtunt.

Domine. Sic LXX. & Patres. Aquila, & Theodotio ex hebræo אל *el fortis* verterunt.

Mirificavit omnes voluntates meas in eis. Sic vulg. LXX. habent „ mirificavit omnes voluntates ſuas ". S. P. Aug. legit ut vulg. Theodoretus „ mirificavit Dominus, quoniam omnes voluntates ſuæ in eis ". Euſ. Theodorus, & Ath. in eorum lectionibus Theodoreti explicationem ſequuntur. Aquila „ in gentibus meis, omnis voluntas in eis ". Symm. „ In magnos omnis voluntas mea in eis ". Heb. eſt לקדושים אשר בארץ המה ואדירי כל חפצי-בם likdoſcim aſcer baarets hemmah, veaddire col chepsi bam, ad ſanctos, qui ſunt in terra ipſi, & fortes erga quos omnis voluntas mea eſt in eis.

Multiplicatæ ſunt. In translatione Aquilæ invenitur „ multiplicabuntur labores eorum ". Symm. „ multæ calamitates eorum ſequentes cito ". Theodotio „ multiplicata ſunt idola eorum retrorſum acceleraverunt " ירבו irbu vere futurum eſt; ſed notandum, quod ſæpiſſime futurum pro præterito, præteritum pro futuro ſumitur. Verbum עצב etzeb pro *dolore* aut *infirmitate* uſurpatur. Qui vero pro *idolis* ſunt interpretati, hoc per ſimilitudinem verterunt, quatenus idolum infirmum, ac nullius eſt virtutis.

Non congregabo &c. Aquila, & D. Hier. idiotiſmum hebraicum explicarunt vertentes „ non libabo libamina eorum de ſanguine ".

Funes ceciderunt mihi in præclaris. Facilius heb. בנעימים banghimim *in amœnis locis.*

Adimplebis me lætitia. Pulchrior heb. phraſis שבע שמחות ſabagh ſemechot ſatietas lætitiarum.

PSAL-

PSALMUS XVI.

ARGUMENTUM.

In hoſtium perſecutione degens David, auxilium ſibimetipſi implorat. Quæ ſit eorum malitia, quæ ſua innocentia deſcribitur.

TITULUS.

Oratio Davidis. Heb.
Oratio ipſius David. LXX.

℣. 7. Usque ad. Quæ verba in hebræo non habentur.

ANNOTATIONES.

Veterum Rabinorum ſententia fuit, Davidem a Deo in ſua perſecutione relictum eſſe propter elatum animum, quem in hoc demonſtrat pſal. Stultitia! Rab. Salomon vero, Kimki, Aben Eſdra, Kabvenachi docent, poſt Uriæ occiſionem præſentem pſalmum ſcripſiſſe: verum prorſus impoſſibile, uti ex ejuſdem lectione clare apparet, ab innumeris tenetur. S. Baſilius, Theodoretus, ac reliqui Eccleſiæ Patres tenent, ſic David oraſſe in Saulis perſecutione.

Oculi tui. LXX. habent *oculi mei*, ita plerique Cod. D. P. Aug. Vulg. aliqui Cod. latini, ac pſ. Rom. legunt *oculi tui.* Et in Scholio, quod Aſterio tribuitur, inſcribitur, oculos Dei eſſe intelligendos, ideo propheta, ut videant æquitatem, orat. S. Hier. ad Suniam ſcribens putat, legendum eſſe *oculi tui*: quod hebræo conformis lectio eſt.

Igne me examinaſti. Hebraicum verbum צרפתי tſeraphtani conflationis auri, & argenti operationem deſignat.

Cuſtodivi vias duras. Symm. ac D. Hier. verterunt „ Ego obſervavi vias „ latronis “. Heb. eſt פרץ parits, nempe, diſſipator, & ſic obſervavi vias diſſipatoris.

Perfice greſſus meos. Symm. cum hebræo convenit, *corrobora greſſus meos*: id תמח tamah importat. *Ut pupillam oculi:* pupilla hebraice dicitur ישון iſcion, videturque radicem ſumere ab איש iſc, nempe, vir: Sic illam hebræi vocant *parvulum virum*, quatenus hominis imago in ipſa repræſentatur, tamquam in ſpeculo. Juxta literam explicatur ſententia „ Cuſtodi me, ut nigrum pupillæ ocu- „ li “. Quid fortius haberi poteſt?

Sub umbra alarum tuarum. LXX. legunt *ſub tegmine*, quod hebræo סתר ſeter reſpondet, cum illius obvia ſignificatio ſit *tegere.* S. P. Aug. heb. amplectitur lectionem.

Proiicientes me. Euſ. & Symm. interpretati ſunt *beatificabant me.* Alii laudaverunt me. Verbum ירה jadah & proiicere, & laudare ſignificat. Vide Lex. Pagn. & Buxb.

Prævexi eos, & ſupplanta eos. D. Hier. ſentit, melius hæc in numero ſingulari legi, quam in plurali: quod hebræo propius eſt, immo ipſa hebraica expreſſio ita exhibitur „ præveni faciem ejus, & incurva eum הכריעהו hacringhehu, quod „ incurvare demonſtrat.

Digitized by Google

Frameam tuam. Plures veteres codices Theodoretus refert, in quibus *framea tua* legitur, & addit ſe Symmacum vertiſſe *in gladio tuo*. Theodorus Antiochenus hanc agnoſcit lectionem in dandi caſu, verum magis genitivi approbat, quo etiam Aquila uſum eſſe fatetur, juxta hebræum.

Domine a paucis de terra divide eos. LXX. legunt „ Domine perdens de „ terra, diſpertire eos in vita eorum ". Theodoretus hoc in loco ita ſcribit „ Etenim tuo, inquit, decreto homines tranſmittis ad mortem: tu enim dixiſti, „ terra es, & in terram redibis ". S. P. Aug. in epiſt. 59. ad Paulinum teſtatur, ſe inveniſſe in aliquibus antiquis græcis codicibus *perdens de terra*. In eadem pariter epiſt. aſſerit, & alios legiſſe codices, in quibus *a paucir de terra* extabat. Apud S. Hier. totus hic verſiculus eſt „ a viris manus tuæ, Domine, qui mor„ tui ſunt in profundo, quorum pars in vita ". Quæ explicatio juxta hebraicam phraſim prolata eſt. R. David contendit legi debere מתים matim, eo quia verbum illud virum deſignat hujus ſæculi deſideriis addictum.

Saturati ſunt filiis. Apollinarius in metaph. habet „ impleti porcellis reliquerunt fi„ liis reliquias convivii ". In pſ. Rom. Arab. & apud Arnobium legitur *porcina*. In quibuſdam aliis exemplaribus ſcriptum eſt „ Saturati ſunt filiis ". Apud hebræos ישבעובנים isbbenghubanim *ſaturantur filii*. D. Parens in epiſtola, qua Paulino reſpondet, & in hunc pſalmum hæc affert „ ſane illo verſu, ubi dictum eſt *ſa„ turati ſunt porcina*, nonnulla exemplaria *ſaturati ſunt filiis* habent, ex ambi„ guo enim græco interpretatio duplex venit ".

PSALMUS XVII.

ARGUMENTUM.

Pericula, in quibus verſabatur, beneficia a Deo recepta David hic enumerat, atque æternæ ſalutis ſpem demonſtrat.

TITULUS.

Victori ſervi Jehovæ, nempe Davidis, qui loquutus eſt
Jehovæ verba cantici hujus, in die, qua eripuit eum
Jehovah de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saulis, & dixit. Heb.
In finem puero Domini ipſi David, quæ loquutus eſt Domino verba cantici hujus, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saul, & dixit. LXX.

℣. 3. Et. Secundo loco poſitum neque in hebræo, neque, teſte M. Marino, in Cod. Vaticano habetur, quamvis in impreſſis legatur.

℣. 7. In tribulatione. Græcus conjunctionis particulam ponit, quam hebræus reticet.

ANNOTATIONES.

D*iligam te.* Intimo ſenſu quis interpretatus eſt, *inviſcerabo te.* nam verbum רחם racham inten[illegible]ſſimum amorem deſignat, atque cordis ardentem flammam exibet.

Commota, & contremuit terra. Euſ. ex Aquila *concuſſa eſt terra*. Hebraicum verbum רעש raas intimum timorem, tremitumque deſignat.

Commota ſunt. Euſ. ex Symm. *circumverſa ſunt*, quod propius hebræo eſt.

Gran-

Grando, & carbones ignis. Superius vidimus in græcis exemplaribus non extare, neque apud S. P. Auguſtinum.

Cum ſancto ſanctus eris. LXX. habent *ſanctificaberis*: ita Theodoretus, & Tertull. S. vero Cyp. *juſtificaberis.* Symm. vertit „ erga ſanctum ſancte agas ". Heb. „ cum viro perfecto perfectus eris ".

Inſurgentes in me, ſubtus me. LXX. addunt *omnes.* D. Hier. ad Suniam ſcribens animadvertit, τὸ *omnes* redundare. Aquilæ placuit „ Incurvabis eum, qui „ inſurrexit in me "; & ſic in ſua intima ſignificatione verbum תכריע tacriagh expreſſit, hoc eſt, incurvavit.

De inimicis meis iracundis. Sic in aliquibus Co. & apud Theodoretum: ita in Vulg. & D. P. Aug. Sunia, & Fretella in ſuis exemplaribus ad invenerunt *meis fortibus*, ſive potentibus. S. Hieron. fatetur, in hebræo nil aliud reperiſſe, quam *liberator meus ab inimicis meis*, uti apparet etiam in hodiernis impreſſis, proinde dicendum, LXX. τὸ iracundis addidiſſe.

PSALMUS XVIII.

ARGUMENTUM.

Omnia creata Dei excellentiam, atque omnipotentiam prædicant. Legis divinæ præſtantiam oſtendit.

TITULUS.

Victori canticum Davidis. Heb.
In finem pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 7. Ad currendam viam. D. Hier. in aliquibus cod. adinvenit viam suam; at τὸ ſuam in margine. Apud hebræos non extat.

℣. 13. Ab occultis meis. τὸ meis deſideratur in hebræo.

℣. 15. Et. Uti ſuperius.

ANNOTATIONES.

Ex Judæis nonnulli præſentem pſalmum gratiarum actiones continere putant, ob legem Moſi datam. RR. Salomon, Eſdra, Kimki notant, quod licet cœli muti ſint, neque ad inſtar hominum loquantur; ſilentium tamen eorum ubique percipitur.

Cœli enarrant. מספרים miſaperim, participium iſtud a radice ספר Sepher oritur, quod eſt liber ſcripturarum collectio: unde juxta vim nominis, proſpiciendo cœlos, quæ nam ſit Dei omnipotentia in illis, tamquam in libro legitur.

Non ſunt loquelæ. Theodoretus Symmaci interpretationem ſic refert „ Et „ nox nocti indicabit ſcientiam, non dictionem, neque ſermones, quorum non audiuntur voces, ſed in omnem terram exivit ſonus eorum ". Aquila „ Canon, „ & regula eorum " quod propius hebræo eſt: nam קום kavam illa complectitur, cum ampliſſimæ ſignificationis nomen illud ſit. Communis opinio eſt legi debere קולם kolam *vocem eorum.* In hodierno hebræo exiſtit קום LXX. & D. Hier. tamen verterunt uti ſuperius, nempe, vocem eorum, ex quo apparet in illorum Cod. קולם habuiſſe. Eruditiſſimus Joan. Deſpecies tract. de text. heb. dub. 5. putat, LXX. & D. Hier. קום legiſſe, illoſque magis ad ſenſum, quam ad verba attendiſſe. Non deſunt aliqui exiſtimantes, malitioſe corruptum eſſe a Judæis hunc locum. At quid inde? primo hujus ſententiam verſiculi intelligi po-

teſt

teſt etiam litteraliter, ex quo nihil officit, ut dicatur vel canon, vel vox, ſicuti Joan. Iſaac ſignificare contendit. Deinde ex hoc ſolum loco forſan Apoſtolorum Chriſti munus probatur? quare innumera, & clariora reliquerunt teſtimonia in genuina ſua puritate? Dicendum potius lapſu temporis aliquibus in codicibus litteram ל excidiſſe, ex quo lectionum ambiguitas apparuit.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum. D. Hier. vertit „ ſoli poſuit tabernaculum in eis“. Ita Aquila, Symmacus, Theodotio, quinta editio, & heb. לשמש שם אהל בהם laſcemeſc ſem aohel bahen. Aliqui exſtimant, in hoc textu corruptelam adinveniri, verum ſerio legenti contrarium conſtabit.

A calore ejus. Verbum חמה chamah *fervorem caloris* denotat.

Convertens animas. חשיב chaſcib divinæ gratiæ operationem exprimit, nempe, dulciter, ac fortiter retrahendo a malo animas.

Præſtans parvulis. Licet vulg. Senſum hebraici nominis retineat, nihilominus פתי peti *credulum*, *perſuaſibilem*, *docilem* deſignat: quæ quidem omnia parvulis competunt.

Deſiderabilia ſuper aurum. Non qualecumque aurum, ſed optimum, ac ſummæ perfectionis per nomen פז paz indigitatur. R. Abraham teſtatur, lapidem prætioſum etiam innuere, cui etiam convenit R. David.

Cuſtodit ea. Elegans hebraica phraſis, juxta vim verbi eſt, ſedulum in illis eſſe, pervigilans in obſervando quis demonſtratur. נזהר בהם nizhar bahem, totus in cuſtodiendo.

Ab alienis parce. Sic LXX., & vulg. D. Hier. autem vertit *a ſuperbis*, idque nomen זדים zadim importat. Hæc lectionis varietas contigit ex ſimilitudine hebraicorum elementorum ד & ר, in quibus exarandis vel manuenſes, vel librarii defecerunt.

PSALMUS XIX.

ARGUMENTUM.

Populus ad præliandum proficiſcitur, & pro illo Deum orat, ut victor regrediatur.

TITULUS.

Victori canticum Davidis. Heb.
In finem pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 5. Tribuat tibi secundum. In aliquibus græcis additur tibi dominus, quod in heb. non extat.

℣. *6.* Dei nostri. In impreſſis græcorum Bibliis ponitur In nomine Domini Dei nostri. Marinus ſcribit, Vaticanum Co. cum hebræo concordare verba illa relinquendo.

ANNOTATIONES.

De huiùs pſalmi auctore a R. Kimki dubitatur, ſicuti ab innumeris interpretibus. R. Salomon contendit in expeditione contra Philiſtæos compoſitum eſſe, a quo autem ſcriptus ſit afferere non audet.

Pre-

Protegat te. Magis in heb. exprimitur per verbum כגש ſaghab, elevare, exaltare, ita ut ſenſus ſit, Deus ſuper inimicos te elevet, exaltet, tamquam inimicorum exterminatorem.

Memor ſit omnis ſacrificii tui. Cajet. habet „ Omnium munerum tuorum ". Et licet dictio hebraica pro quocumque ſacrificio accipiatur, hic tamen tamquam de peculiari oblatione ſumitur. *Pingue fiat.* Orig. legit *nitidum faciat.* Heb. eſt ידשנה idaſceneh, nempe, *incineret*, ex quo quam gratum Deo ſacrificium illud extiterit, demonſtratur.

Lætabimur. Vox רנן ranan nobis oſtendit lætitiam per voces, & clamores exhibitam.

PSALMUS XX.

LATINIS XIX.

ARGUMENTUM.

Devictis hoſtibus, populus lætabundus ad propria concrepantibus cantici vocibus regreditur.

TITULUS.

Victori canticum Davidis. Heb.
In finem pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 5. Et. In hebræo non legitur.

ANNOTATIONES.

Kimki, cum cæteris priſcis hebræorum doctoribus Chriſto Domino hunc pſalmum tribuunt. R. Salomon ait „ Magiſtri noſtri hunc pſalmum expo„ ſuerunt de Rege Meſſia ".

Exultabit vehementer. vividius ex heb. מה יגיל mahjaghil o quam vehementiſſime!

Deſiderium cordis. Ita vulg. D. P. Aug. & pſ. Rom. LXX. habent deſiderium animæ ejus „ *voluntate labiorum ejus.* LXX. legunt petitione labiorum ". Heb. *prolatione labiorum.* Chal. „ Et prolationem labiorum ejus non prohibuiſti in æter„ num ". In aliis libris, & apud D. P. ſicuti vulg. inſcribitur.

Inveniatur manus tua. Manifeſtius Symm. explanavit *comprehendet*, aut ſicuti Hier. „ inveniet manus tua omnes inimicos tuos ".

Declinaverunt. Symm. dixit „ obſtruxerunt contra te in malum ". vulg. cum heb. convenit, habet enim כי נטו chi neſu, quoniam declinaverunt.

PSAL-

PSALMUS XXI.

ARGUMENTUM.

Omnimode Chriſto accomodatur Patrem in cruce oranti.
Ita Ath. Euſeb. Theod.

TITULUS.

Victori ſuper cervam matutinam canticum Davidis. Heb.
In finem pro ſuſceptione matutina pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 2. RESPICE IN ME. Additum, in hebræo non reperitur.

℣. 4. IN SANCTO. τὸ IN LXX. poſuerunt.

℣. 12. QUI ADJUVET. In græcis exemplaribus additum. At Vaticanus Cod. cum hebræo concordat, teſte Marino.

℣. 17. MULTI. Ad exagerationem additum. FODERUNT MANUS MEAS. Hodiernus hebræus incuria librariorum depravatus videtur.

℣. 20. NE ELONGERIS AUXILIUM TUUM. In aliquibus græcis exemplaribus legitur MEUM, forſan ſcriptorum errore, cum cæteri interpretes TUUM. tranſtulerint.

℣. 32. ET ANNUNCIABUNT CŒLI. Per propoſopejam additum, vel per metonymiam, ut annuntiantes exprimant, ideſt, cœleſtes homines. Non habetur vox iſta in aliquibus latinorum Cod. hebræo concordantibus.

ANNOTATIONES.

MAgnis obvolutum tenebris titulum præſentem cernimus Eccleſiæ Patres de Chriſto prædicari autumant. Judæorum ſententia non eadem inter omnes apparet. R. Salomon contendit per *cervam matutinam* Iſraeliticum populum intelligi debere, congregationemque illius gentis, ut habetur in Prov. 5. „ cerva chariſſima, & grati ſſimus hinnulus " quæ ab innumeris oppreſſa fuit anguſtiis per manus Nabuchodonoſor : ſed propter Sanctorum orationes tandem liberata. R. Kimki exiſtimat, hic hebræorum ſtatum deſcribi poſt everſam Jeruſalem. Grotius de David hæc omnia vocitat. Demum explicari poteſt cum doctiſſimo Calmet, vocem illam Præſidem claſſis Cantorum denotare, qui forſan cerva matutina vocabatur.

Verba delictorum meorum. Symm. legit „ querimoniarum mearum ". Quinta editio „ clamoris mei ". Sexta „ deprecationis meæ ". Aquila, & D. Hier. ex hebræo *rugitus mei.* Sic includit verbum שׁאגתי ſaghati. Utrum explicatio præſens propria ſit, expoſ. vide.

Non ad inſipientiam mihi. Heb. „ nec eſt ſilentium mihi ". Sic etiam S. Hier. interpretatus eſt.

Loquuti ſunt labiis. Hebraica phraſis eſt „ Emittunt per labium ". *Speravit in Domino.* Verbum גל ghol importat, nempe, devolvit res ſuas ad Dominum, ita hebræorum doctores.

Tan-

Tauri pingues. Hebræus exprimit feracem locum illorum, nempe, Baſan. Regio eſt in Peræa poſita ultra Jordanem ad ſeptentrionem in media tribu Manaſſe. Ad Orientem propinquos habet montes Galaad, & regionem Ammon, atque Idumæam orientalem. Præcipue prædicantur de ea ſaluberrima paſcua, & armenta.

Effuſus ſum. Ita LXX. & Didym. vulg. D. P. A. autem „ effuſa ſunt“. Sic Apollinarius, & Euſ. Hebræus ſicuti LXX. legit נשפכתי niſpacti effuſus ſum.

Foderunt manus meas, & pedes. In hodierno hebræo legitur כארי caarì, cujus genuina explicatio eſt *leonis inſtar.* Diſſidium inter nos catholicos, hebræoſque oritur utrum *caarì*, aut *caarù* legi debeat. Licet primo modo nunc impreſſum reperiatur, tamen LXX., & antiqui translatores ſecundo modo legerunt: ita Juſt. Mar. Tert. S. Cyp. Aquila demum chriſtianorum acerrimus inſectator, & D. Hier. Oſcitantia manuentium, aut librariorum hoc evenit vau ו in jod permutando, quo nil facilius.

Et anima mea ipſi vivet. Sic etiam S. P. A. LXX. habent „ vivit“. Theodotio „ Et anima ejus vivit“. Quinta, & ſexta editio uti LXX. D. Hier. ex hebræo „ animam ſuam non vivat ונפשו לא חאיה venaphſcio lo chajah“.

PSALMUS XXII.

ARGUMENTUM.

Vigilantia Dei erga creaturas extollitur.

TITULUS.

Canticum Davidis. Heb.
Pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 2. Ibi. Caret apud hebræos.

℣. 5. Et. Ut ſupra. Præſens verſiculus ad illa verba Inebrians terminat in hebræo. Græci diverſimode legunt. Marinus aſſerit Vaticanum Cod. eodem ferme pacto ſe habere, ac heb.

ANNOTATIONES.

INter doctores lis eſt de occaſione, & de hujuſce pſalmi materia. Athanſ. Le Blanc, Muilium vide. Quoad titulum ſpectat, liceat mihi R. Salomonis commentum afferre. Aliquando, ait, Spiritus Dei prius tangebat, mentem David, „ & poſtea canebat pſalmum, & tunc in titulo talis pſ. præponitur canticum nomine ipſius David; aliquando autem e contrario, David incipiebat canere inſtrumento ad excitandam devotionem ſuam, ſicuti legitur 4. Reg. Cumque caneret pſaltes, factus eſt in eo ſpiritus Domini; & poſt David ſentiebat tactum Spiritus Sancti, & in titulo pſalmi ſic facti præponitur, vel præmittitur nomen David „ cum cantico“. Ridicula interpretatio!

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuę ibi me collocavit. Sic Vulg. habet: LXX. vero, ac D. Hier. legunt רעי roghì *paſcit me.* quod conciſius,

Digitized by Google

ciſius, & elegantius apparet. *mihi deerit.* Plus ex hebræo אחסר echaſar, non deficiam. *In loco &c.* Aquila, & Symm. „ In venuſtate herbæ collocavit me “. Heb. „ in tuguriis, locis herboſis, amœnis accubare me fecit “. Emphatica allocutio.

Animam meam convertit. Ita LXX. cum Vulg. Symm. *refecit me.* D. Hier. ex hebræo „ animam meam refecit “. Aliqui legunt refocillavit: dictio enim ישובב jeſcobeb illa omnia complectitur, & reducere, tranquillare, eruere, liberare.

Super ſemitas iuſtitiæ. D. P. A. habet „ in ſemitis “. Symm. *per calles*, ſic importat nomen מנלים meghalim.

Calix meus. LXX. pſ. Rom. & Arab. S. P. A. *calix tuus*: Immo pſ. Rom. legit „ Et poculum tuum inebrians, quam præclarum eſt “. S. Cyp. lib. 2. ep. 3. *calix tuus inebrians.* D. Hier. teſtatur, Cod. ſe inſpexiſſe, in quibus *calix meus* legebatur, revera & in hodierno hebræo legitur כסי così *calix meus.* Theodotio, & Symm. interpretati ſunt „ Poculum inebrians maxime bonum “. D. Hier. ſimplicius, ac hebræo propius „ calix meus inebrians, exuberans “.

PSALMUS XXIII.

ARGUMENTUM.

Domini arcam in montem Sion deferentibus Levitis, ſic David cæcinit.

TITULUS.

Davidis canticum. Heb.
Pſalmus ipſi David una Sabbati. LXX.

℣. 1. Terrarum .... Universi. Ob majorem declarationem verba modo allata a Transl. poſita fuere, non leguntur in hebræo.

℣. 2. Quia. In græco non extat. Vulg. cum hebræo concordat.

℣. 4. Proximo suo. Caret in textu.

ANNOTATIONES.

IN translatione D. Hier. *Una ſabbati* non habetur, ſicuti in hodiernis hebraicis impreſſis. De hujus pſalmi occaſione innumeræ extant ſententiæ. Apud S. Juſtin. videre eſt, Judæos ad templi dedicationem referre, ita Kimki, & Eſdra. R. Salomon putat, quod conſtructo templo per Salomonem, cum arca a ſacerdotibus deferretur, ut intra Sancta Sanctorum eam collocarent, portæ ſe clauſerunt, nec apertæ ſunt, donec ſacerdotes canerent *memento Domine David*, & cum veniſſent ad locum „ Propter David ſervum tuum “, tunc januæ a ſemetipſis apertæ ſunt, atque in locum ſuum arca Domini poſita fuit. Quid reliqui judicent, vide apud S. Hier. Ath. Theodoretum. Euſ. Bern.

Faciem Dei Jacob. Apud heb. eſt פניך pencha *faciem tuam o Jacob.*

Attollite portas. S. Cyp. lib. 2. adv. Jud. Sic hunc vertit verſiculum „ Auferte portas, principes veſtras, & extollimini portæ æternales, & introibit Rex „ claritatis “. Aquila, & D. Hier. „ Levate portæ capita veſtra, & elevamini „ januæ ſempiternæ “. Scribens vero ad Damaſum, inquit „ Aquilam eſſe interpretatum attollite portæ capita veſtra “. Theodotio, & quinta editio uti LXX. Symm. „ transferte portas, principes, veſtras, & exaltentur portæ ſempiternæ “. Heb. tandem „ Elevate, o portæ, capita veſtra, & elevate vos portæ „ perpetuæ “.

De-

Dominus virtutum. Univerſalius per צבאות tſebaot, nempe, virtutum, exercituum, angelorum, hominum, omnium creaturarum.

PSALMUS XXIV.

ARGUMENTUM.

Ut a peccatis, & periculis liberetur David orat.

TITULUS.

Davidis. Heb.
Pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 2. Non erubescam. Hiſce verbis græci addunt ἐις τον ἀιωνα, verum Marinus aſſerit Cod. Vaticanum hebræo, & Vulg. concordare, addictionem dictam relinquendo.

℣. 3. Confundantur omnes. τὸ omnes in græco non extat, neque in hebræo, reperitur apud LXX. ſub veru.

℣. 21. Sustinui te. Græci habent te domine, at τὸ Domine apud cæteros redundat.

ANNOTATIONES.

Alphabeticus præſens pſalmus vocatur, eo quia unuſquiſque verſiculus per alpheti literas incipit. Hoc genus canticorum in poeſi hebraica principem locum obtinet. R. Kimki exiſtimat, in quocumque cantico, ubi aliquid maximi continebatur, hoc David uſum eſſe genere, ut facilius memorię mandaretur. Reliqui Rabini nihil aut parum de hoc ſcripſere. Aliquorum opinio apparet, muſicum artificium denotare.

Qui ſuſtinent te. Emphaticæ ſignificationis eſt verbum קוה Kavah, per illud demonſtratur aliquis magno deſiderio expectans, ita ut ſenſus ſit, expectantes te magno deſiderio, pudore, & confuſione non afficiantur, quæ quidem explicatio ex hebræo conſtat.

Inique agentes. S. P. Aug. habet „ inique facientes vana “. Quinta editio „ qui rebellant “. D. Hier. ad Suniam „ inique agentes “. Addit idem doctor, ſe in quibuſdam codicibus legiſſe *omnes*, ut nunc eſt in Vulg. verum additum eſſe in LXX. ſub veru fatetur. Verbum בגדים boghedim univerſalioris ſignificationis eſt, hoc eſt, fidem deſerere, inita fœdera violare, apoſtatare.

Dirige me in veritate tua. LXX. propius hebræo habent „ deduc me in ve„ ritatem tuam “. D. Parens ſicuti Vulg. Cum hebraicum verbum ſit in conjugatione hiphil, exprimit actionem in ſemetipſo, ambulare me fac, & ſic aliqua additur vis in ſententia.

Juventutis meæ. Verbum נער naar parentum ſubjectionem demonſtrat, aut cuſtodum, excutere, conſurgere, facere; demum illius ætatem innuit, qui a parentum cura veluti foras excutitur.

Firmamentum eſt Dominum. Hoc videtur potius ſextæ editionis eſſe. Theo-

Digitized by Google

doretus tamquam lectionem LXX. cognoſcit. Ita apud D. P. A. reperitur. Aquila legit „ ſecretum Domini “: quod juxta hebraici nominis vim expreſſit, סור ſod ſecretum ſibi vult, myſterium, arcanum. Symm. „ colloquium Domini “. Theodotio „ myſterium Domini “. Eodem modo Euſ. D. Hier. autem „ pactum „ ſuum oſtendit eis “.

Tribulationes multiplicatæ ſunt. Hebræum verbum aliquid plus innuit הרחיבו hirchibu, hoc eſt, *dilatatæ ſunt. De neceſſitatibus meis.* Radix צוק tſuk exhibet *coarctare*, *extorquere*, *comprimere*, cauſam hic exprimens anguſtiarum.

Odio iniquo oderunt me. Optime Vulg. retinet, attamen חמס chamas *violentiam odii* deſignat.

PSALMUS XXV.

ARGUMENTUM.

Ut a Saulis perſecutione liberetur orat David.

TITULUS.

Davidis. Heb.
Ipſius David. LXX.
In finem pſalmus David. Vulg.

℣. 1. In finem psalmus. Neque apud LXX., neque apud hebræos iſta verba leguntur. Obſervat Marinus, quod hebræus cum Cod. Vaticano concordat.

ANNOTATIONES.

APud D. P. Aug. invenitur *ipſi David.*

Odivi eccleſiam malignantium. מרעים meraghim ii ſunt, qui ſimul conſulunt ad patrandum malum. *Cum impiis non ſedebo.* ſimiliter רשעים reſciaghim, reputantur, qui *magiſtratibus ſe ſe rebellant*, *ſeditioſi.*

Iniquitates ſunt. זמה zimah conſilium aſtutum ad imponendam calumniam. *In directo.* Symm. In plano. D. P. ut Vulg. Heb. מישור miſcior locum planum, excultum, amœnum oſtendit.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS XXVI.

ARGUMENTUM.

Dum quis in anguſtiis verſatur, Deo ſolummodo eſt fidendum.

TITULUS.

Davidis. Heb.
Ipſius David priuſquam liniretur. LXX.

℣. 2. Templum ejus. Græcus addit ſanctum ejus. Vaticanus Cod. cum hebræo, & Vulg. concordat illud relinquendo, teſte Marino.

℣. 6. Et nunc exultabit. In aliquibus græcis invenitur „ Et nunc „ ceu, quod apud cæteros redundat.

℣. 8. Exquisivit facies mea. In græco additur te. At D. Hier. antea dictam lectionem magis approbat.

ANNOTATIONES.

D. P. Auguſtinus ſolummodo habet *ipſi David.* Didymus, ac Theodoretus hanc inſcriptionem teſtantur, ſe in aliquibus exemplaribus inveniſſe, ſecus autem in Origenis hexaplo.

Unam petii. Unum petii habet heb. vulgatus ſecutus eſt hebraiſmum, retento cum LXX. genere fœm. pro neutro.

Ut videam Voluptatem. LXX. legunt „ Ut contempler delectationem “: ita D. P. Heb. eſt „ Ut videam pulchritudinem Jehovæ“. Verbum enim נעם, noam decorem, pulchritudinem, dulcedinem, jucunditatem ſignificat.

PSAL.

PSALMUS XXVII.

ARGUMENTUM.

Fervida Davidis oratio pro ſe, juſtiſque, ne cum peccatoribus pereant, ſed in innocentia perſeverent.

TITULUS.

Davidis. Heb.
Ipſius David. LXX.

℣. 1. Nequando. In græcis exemplaribus hic deſunt aliqua, Vulg. tamen cum hebræo convenit.

℣. 2. Exaudi vocem. Hic reperitur Domine, ſed additum.

℣. 7. Et in ipso. Particula conjunctiva tam in hebræo, quam in græco non habetur.

ANNOTATIONES.

OBſervat Euſebius, aliique quamplures cum illo, ex traditione hebraica haberi, pſalmis, in quibus nulla reperitur inſcriptio, illam convenire, quæ proxime iſtos preceſſit.

Ne ſileas a me. Ita vulg. & D. P. Aug. LXX. habent „ ſuper me “. Aquila, & D. Hier. „ ne ſileant forte te procul a me“. Hebræus ſe habet uti vulg.

Nequando taceas a me. Hæc repetitio in multis non extat codicibus, reperitur tamen apud Vulg. Vet. pſal. D. P. A. & Theodoretum.

Exaudi Domine. D. Hier. teſtatur ad Suniam ſcribens, τὸ *Domine* additum eſſe.

Ad templum ſanctum tuum. Aquila, & Symm. explicant „ ad oraculum „ tuum“. Theodotio hebræum verbum pro ut jacet reliquit, hoc eſt, Dabir. Juxta intimam verbi explicationem eſt „ ad adytum ſanctitatis tuæ “.

Ne trahas me. Nonnulli putant hic mendoſitatem reperiri, atque *tradas* potius legunt. At vetuſta pſal. latina, Beda, pſal. Rom. Carnut. Gallic. Editio Sixti V. hodiernus hebræus *trahas* habent.

Non intellexerunt opera Dei. Apud hebræos reperitur particula אל, ex qua elegans hebraiſmus exoritur, nempe, *non intellexerunt in opera*; quod eſt, intellectum ſuum illis accommodare.

Refloruit caro mea. Verbi vim Aquila explanavit dicendo, *exultavit, ſperavit cor meum*: Sic עלז olaz importat.

PSAL-

PSALMUS XXVIII.

ARGUMENTUM.

Ex ſenſibilibus ſignis, ut S. Baſilius aſſerit, omnipotentiam ſuam nobis oſtendit Deus, qua de re excitat nos David ad victimas, laudesque illi offerendas.

TITULUS.

Canticum Davidis. Heb.
Pſalmus ipſi David exodii tabernaculi. LXX.

℣. 9. ET IN TEMPLO EJUS OMNES DICENT GLORIAM. In aliquibus græcis exemplaribus legitur „ Et in templo ejus omnis quis dicit gloriam “. Confuſa elucet lectio.

ANNOTATIONES.

THeodoretus animadvertit, verba exodii tabernaculi ſacerdotibus, atque Levitis e templo exeuntibus inſinuare, ut ea, quæ ad ſacrificia neceſſaria erant, pararent. Idem auctor in hexaplo inſcriptionem illam non invenit, ſed in quibuſdam exemplaribus.

Afferte Domino filii Dei. D. Hier. ut Vulg. habet. Euſ. juxta hebræum legit „ filij fortium “ בני־אלים bene-elim. Animadvertendum tamen eſt, quod nomen אלים, etiam Deo tribuitur, cum ſit ipſa fortitudo.

Cedros Libani .... tamquam vitulum Libani. Libanus vocatur ab hebraico nomine *leban* aut *laban*, quod album ſignificat, ſic dictum ob perpetuas nives ibi morantes. Mons celeberrimus eſt Syriam, ac Paleſtinam diſterminans, cujus figura ad equinum ferrum accedens, deſcribitur. In ipſo maximæ molis cedri habentur, quorum rami ad decem, vel duodecim pedes a terra, & invicem diſſiti emittuntur. Perlongæ durationis eſt arbor, niſi humore tangatur. Olim ex ea conficiebantur ſtatuæ, quæ æternæ videbantur.

In LXX. legimus „ tamquam vitulum Libanum “: ita etiam apud S. Baſilium, qui interpretatur, fore ut totus Libanus comminuatur, ſicut vitulus ille aureus. In operibus D. Joan. Chry. Theodoreti, Apollinaris, & in editionibus latinis „ tamquam vitulum Libani “. Ex hodierno hebræo videtur ſic verti poſſe. „ Et ſaltare fecit ea, ſicut vitulum “: nam immediate ſignum diviſionis verſiculi reperitur: deinde „ Libanum, & Sirion ſicut filium unicornium “. Quæ quidem explicatio Pagnino, & aliis hebraizantibus convenit. Sirion, aut Sarion, pro parte montis Libani ſumitur.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS XXXI.

ARGUMENTUM.

De gravi morbo David erepto, Deo gratias agit.

TITULUS.

Pſalmus cantici dedicationis domus David. Heb.
In finem pſalmus cantici dedicationis domus ipſius. LXX.

ANNOTATIONES.

ARgumentum cum pſalmi titulo minime convenire videtur. Verum de hac re Ath. vide Boſſuet, Bedam, Theodoretum.

Quoniam ſuſcepiſti me. Aquila ſe habet ſicuti heb. „ Exaltaſti “. Verbum דלל dalal id innuit; quamvis etiam attenuare denotet, hoc in loco prima ſequenda eſt acceptio.

A deſcendentibus in lacum. Hic de ſubterraneo animarum loco intelligitur, juxta Hajè, unde ſenſus erit *ne deſcendam.* Quæ quidem explicatio ſecundum Maſſorethas eſt.

Ita in indignatione ejus. Heb. habet כי רגע chi regagh, nempe *quoniam momentum eſt in furore ejus.* Quinta editio „ quoniam conſummatio in furore ejus “. Aquila „ ſubitum, & confertum quiddam “.

In abundantia mea. Verbum שלה ſcialah multiplicis eſt ſignificationis, tranquillitatem, amœnitatem, felicitatem denotat.

Decori meo virtutem. Heb. legit להררי leharri, hoc eſt, monti meo, regno meo: ita Aquila, & quinta editio.

Dum deſcendat in corruptionem. שחת ſciachat fovea, ſepulchrum, in quo caro corrumpitur.

In gaudium mihi. מחול machol *chorum* denotat, *inſtrumentum*, quo læta laudatio celebratur.

PSAL-

PSALMUS XXX.

ARGUMENTUM.

Orat, & exauditur David. Omnes ad ſperandum in Domino invitat.

TITULUS.

Vincenti pſalmus David. Heb.
In finem pſalmus ipſi David, ecſtaſis. LXX.

℣. 2. IN ÆTERNUM. Nonnulla hic addunt græci.

℣. 23. EGO AUTEM DIXI IN EXCESSU MENTIS MEÆ. Pro quo in Lat. Cod. legebatur in PAVORE MEO.

ANNOTATIONES.

QUæ ad titulum attinent, dicendum eſt, quod etiam apud D. Parentem A. *Ecſtaſis* reperitur. Ex Theodoreto habemus hunc titulum neque ſe inveniſſe in hebræo, uti revera nec in hodierno extat, ſed in aliquibus exemplaribus. Innumera de inſcriptionibus hujuſmodi in Heſychio leguntur.

Contendunt doctores, atque Rabini, præſertim Salomon, & Kimki præſentem pſalmum in Saulis perſecutione compoſitum fuiſſe.

In juſtitia tua. Euſeb. ex Symm. vertit „ in miſericordia tua ". In heb. habetur כצדקתך betſik adeha in juſtitia tua.

In Deum protectorem. D. Hier. hebraiſmum retinuit לצור מעוז letſur maoz, ut petra, ut lapis fortis, & ut domus munita, ſimplicior explicatio.

Conturbatus eſt in ira oculus meus. Emphatice legit hebræus עששה aſceſciah, quod eſt corrodere, ſicuti tinea efficit, computreſcere, ſic, *corroſus eſt*, *computruit præ ira oculus meus.* Aquila „ ſqualuit in irritatione ".

In manibus tuis ſortes meæ. Ita pariter apud D. P. Aug. Hanc enim cognoſcunt explicationem Euſebius, Didimus, aliique permulti. Pſal. vero Rom. hebræo concordat, nempe „ in manibus tuis tempora mea ". Theodoretus rerum mutationes, divitias, paupertatem, ſervitutem, & dominationem, pacem, & bellum.

Deducantur in infernum. Euſ. Symm. Apoll. D. Hier. ex hebræo verterunt „ taceant in inferno ": nam verbum דמה damah *ſilere* importat.

A contradictione linguarum. Simplicior, & clarior ex hebræo explicatio „ a „ lite linguarum ".

Muta fiant labia doloſa. תאלמנה tealmanah, intima iſtius nominis ſignificatio eſt „ Vidua ſint labia mendacia ".

In exceſſu mentis meæ. Aquila, & Symm. „ in ſtupore meo ": Alii juxta hebræum „ dum feſtinarem ", ita verbum חפז chamoz oſtendit, *moveri cum pavore.*

Digitized by Google

PSALMUS XXXI.

ARGUMENTUM.

Sua deflet peccata David, atque peccatorum dolor Deo adſcribit.

TITULUS.

Davidis intelligentia. Heb.
Intelligentia ipſi David. LXX.

℣. 2. NEC EST IN SPIRITU EJUS DOLUS. Apud græcos eſt: neque eſt IN ORE EJUS DOLUS. quod ſolus Symm. poſuit. LXX., Theodotion, quinta & ſexta editio, Aquila, & heb. habent IN SPIRITU EJUS ברוחו berucho.

℣. 4. CONVERSUS SUM IN ÆRUMNA MEA. In græco habetur, DUM CONFIGITUR MIHI SPINA: quod ex hebræo, & Theodotione ſub abſteriſco additum eſt.

ANNOTATIONES.

IN titulis explicandis omnes conveniunt, & hebræorum doctores hunc pſalmum vocant *cor David.* Rab. Salomon ſentit, poſt Berſabeæ peccatum, & Uriæ homicidium David præſentem pſalmum condidiſſe. Cum eo ſunt Cyr. Muiſ. Berl. aliique non pauci.

Converſus ſum in ærumna mea. Superiori animadverſioni ſequentia apponimus. Apud D. P. A. τὸ *mea* reperitur, in LXX. haud legitur. D. Hier. teſtatur, ex hebræo, & translatione Theodotionis ſub veru additum eſſe. Symm. „ converſus eſt mihi in corruptionem, ſicuti ſiccitatem æſtivam “. Aquila „ Verſus ſum in vaſtitate mea in calorem æſtivum “. Quæ quidem lectiones fere cum hebræo conveniunt: nam in impreſſis hebraicis legitur „ verſus eſt viror „ meus in ſiccitates æſtatis “. Berl. putat, incuria librariorum verba depravata eſſe.

Tu es refugium meum. סתר ſatar abſcondere innuit.

Intellectum tibi dabo. Euſ. & Aquila interpretati ſunt „ Scire te faciam, „ & illuminabo te in via, qua gradieris “. D. Hier. cum Symm. „ docebo te, „ & monſtrabo tibi viam, cogitabo de oraculo tuo “. Hæc omnia convenientem exhibent nominis virtutem.

PSAL-

PSALMUS XXXII.

ARGUMENTUM.

Cum quotidiana, varia, ac mirabilia ſint erga nos Dei beneficia, ideo ad gratiarum actiones excitat David.

TITULUS.

Ipſi David. LXX.

Ṽ. 3. Bene psallite ei. τῷ ei non habetur in græco: etiam in Vaticano Cod. deſideratur, ſic Marin. fatetur.

Ṽ. 10. Autem... et reprobat consilia principum. Hæc non leguntur in hebræo.

ANNOTATIONES.

IN variis editis hebraicis Bibliis non reperitur titulus, neque in quinta, & ſexta editione. Qui ſi in LXX. habeatur, dicendum eſt cum Calmet, a librariis additum eſſe. Theodoretus a ſenioribus appoſitum adjudicat.

Exultate. Aquila, & Symm. diverſimode a vulg. legunt, *laudate* habent. Apud hebræos eſt רננו rannenu, vocem exultationis emittere ſignificat. Aliqui „ prædicate, benedicite “. *In cythara.* Hebraicum nomen genericum apparet בכנור bechinor, ſub qua acceptione omne muſicale inſtrumentum ſumitur.

In vociferatione. D. P. A. habet *in jubilatione.* Quid proprie vocabulum iſtud בתרועה bitruaah denotet, ex D. Baſ. Theodoreto, & Symm. habemus, nempe, *cantare cum ſignificatione, & clangore magno.* Vide penes ipſos.

Congregans ſicut in utre. Majorem exprimit vim hebræus, נד nud, *ſicut acervum.* LXX. „ Sicut utrem “ quam lectionem Baſil. Niceph. ſequuntur. A divo Baſilio erudimur, ſe in aliquibus exemplaribus *ſicuti in utre* inveniſſe. S. P. Aug. eodem modo legit.

Dominus diſſipat. Heb. habet הפיר hapir *irritum facit, annullat* : quod conſilii actus exprimit.

De præparato. Aliquibus exponere placuit „ de firmiſſimo ſolio “. At Vulg. hebræo concordat. Aquila „ ex ſtabili collocutione cathedræ ſuæ “. Symm. „ e ſede habitationis ſuæ “.

Qui finxit ſingillatim. Vere heb. legit יחד jahad ſimul; at ſicuti obſervat Agellius, LXX. hic vertiſſe *ſingillatim*, ne ambigua haberetur ſignificatio verbi; poterat enim intelligi, Deum ſimul omnes animas condidiſſe, quæ quidem ſententia Origeniſtarum eſt: qua de re a viris clariſſimis merito explicatio hebraici nominis exploſa fuit.

Gigas non ſalvabitur. Propius, ac ſimplicius ex hebræo Symm. vertit „ neque „ fortis effugiet peringentem fortitudinem ſuam “.

Digitized by Google

PSALMUS XXXIII.

ARGUMENTUM.

Dum ipſe David laudat Deum, alios una ſecum invitat.

TITULUS.

Davidis, quum mutavit ipſe vultum ſuum coram Abimelech, & expulit eum, & abiit. Heb.

Ipſi David, cum mutavit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum, & abiit. LXX.

℣. 10. OMNES. In hebræo non legitur.
℣. 17. AUTEM. Ut ſupra.
℣. 18. JUSTI. Hebræus reticet.
℣. 21. DOMINUS. Pari modo.

ANNOTATIONES.

Hic eſt ſecundus acroſtychus pſalmus, de quorum genere jam ſuperius loquuti ſumus. Inter Patres differitur, quiſnam ſit Abimelech iſte. Ath. Theod. Baſ. Hier. ſummum ſacerdotem eſſe contendunt. R. Salomon, Kimki, Muiſ. Ferr. Grot. aliique defendunt, Philiſtinorum regem extitiſſe, nomine Achis, docentque conveniri Philiſtinorum Regibus nomen Abimelech, ſicuti Cæſaris Imperatoribus, qui tamen perſonale nomen retinebant.

Apud Theodoretum noviſſima verba *dimiſit eum, & abiit* haud inveniuntur. In translationibus Aquilæ, & Symm. leguntur.

Cum immutavit vultum ſuum. Multiplicis ſignificationis eſt hebraicum nomen תעמו teghamo, ſibi vult *guſtum, ſenſum, os.* Unde horum verborum intelligentia videtur eſſe ſecundum expoſitores, mutavit vultum ſuum, *mutavit intellectum*, inſipientiam ſimulans, & ut contigit, mæſtitiæ lineamenta in vultu demonſtrando, cum quis animo turbato alicui alloquitur.

Accedite ad eum, & illuminamini. Diverſimode ſe habet hebræus: legit enim הביטו אליו ונהרו hibbittu elau venaharut *aſpicient ad eum, & illuminabuntur.* D. Hier. vertit „ Reſpicite ad eum, & confluite ad illum “. Verbum הביטו poteſt indicativi, & imperativi modi eſſe.

Immittet Angelus. Aliquid majoris virtutis hebraica vox חנה choneh *caſtrametatur* demonſtrat, quaſi exercitum ponat Dominus ad bonorum defenſionem.

Divites eguerunt. Hujuſmodi eſt hebraica phraſis, כפירים chepirim *leones*, ſic divites appellat David, illoſque præſertim, qui juſtitiæ ſpretis regulis impie dapes congerant, ſicuti leones prædam.

Qui oderunt juſtum, delinquent. יאשמו jeſciamu devaſtabuntur.

PSAL-

PSALMUS XXXIV.

ARGUMENTUM.

Quid eventurum ſit inimicis ſuis David prædicit.

TITULUS.

Davidis. Heb.
Ipſi David. LXX.

℣. 10. OMNIA OSSA MEA DICENT DOMINE. In græco bis DOMINE legitur. Multa ſunt exemplaria hebræorum, ubi ne ſemel quidem illud DOMINE habent.

ANNOTATIONES.

QUamvis hujus pſalmi materia alium a Davide auctorem exhibeat, expoſitores tamen latini, & hebræi de ipſo Divide a Saul ad necem quæſito explicant.

Judica nocentes me. Hebraica phraſis aliquid majoris virtutis demonſtrat ריבה את-ריבי ribah & ribì, *litiga cum litigantibus meis. Effunde.* Pariformiter, *ſtringe*, *evagina*, *evacua.* Aquila, Symm. Theodotio, quinta editio „ nuda lanceam, & circumſepi " hoc eſt, inquit Theodoretus „ prohibe illis fugam, „ ne evadant ".

Quoniam gratis mihi aſconderunt. Euſ. & Symm. putant eſſe legendum „ Quia „ ſine cauſa occultaverunt mihi corruptionem retium ſuorum " quod hebræo conformius apparet „ abſconderunt mihi ſoveam retis ſui ".

Cum mihi moleſti eſſent. Diverſimode ſe habet hebræus. ואני בחלותם veani bachalotam. *Et ego, cum ægrotarent ipſi.* Aquila fere ſicut heb. „ Et ego in „ ægritudine eorum ". Symm. „ mecum in illorum infirmitatibus ". Theodotio, & quinta editio „ Ego autem, cum illi perturbarentur ".

Quaſi lugens, & contriſtatus. In hebræo pro *contriſtatus*, legitur אם em mater, ſic, tamquam lugens matrem.

Super me flagella. Heb. habet „ Congregaverunt ſe adverſum me claudi ". Symm. verbum hebraicum נכים nechim *percuſſores.* interpretatus eſt.

Diſſipati ſunt, nec compunctio. Plus ex heb. ולא דמו קרעו velò dammu, Korghu, *proſcinderunt*, *ſciderunt*, *& non tacuerunt.* Aquila „ Sciderunt, & non tacue„ runt ". Neque multo diſſimilis D. Hier. ſe exhibet.

Subſannaverunt me ſubſannatione. Clarius ex heb. cum hypocriſi ſubſannaverunt me.

A malignitate eorum. Optime D. P. A. legit „ Ab aſtutiis ". *Qui adverſantur mihi inique.* Apud hebræos eſt „ Ne lætentur inimici mei immerito ".

Mihi pacifice loquebantur. In hodiernis hebraicis impreſſis habetur לא lò, ideſt, *non loquebantur.* Aliqui volunt, legi poſſe hebraicum interrogationis modo: verum apud Symm. & D. Hier. ſine interrogatione conſpicitur, primus autem ha-

Digitized by Google

habet „ Non enim in pace loquuntur, ſed de rapina in terra ſermones doloſos „ cogitaot “. Penes ſecundam, & quintam editionem „ Non eoim in pace lo- „ quuntur, ſed in rapina terræ verba fraudulenta concinnant “.

Et in iracundia, terræ loquentes. Notaodum eſt, quod in variis traslationibus reperitur varietas. S. Aug. „ Et ſuper iram doloſe cigitabant “. Apud Euſ. videre eſt „ Terræ “. Theodoretus ſic ſcribit „ amicis ſermooibus utentes, quaſi „ in terra quadam occultare iram conabantur, doli plenam mentem habentes “. Aquilæ transferre placuit „ Et ſuper conferta terræ verba deceptionum concin- „ nant “. Heb. tandem ועל רגעי ארץ דברי מרמות יחשבון veghal riegh aarets divrè mirmot jachaſciobun, hoc eſt, *& contra humiles terræ verba fraudulenta cogitant.* In duplici ſenſu habetur verbum רגע, ſignat ſcindere, rumpere, & quieſcere: unde quieſcens humilis apparere videtur, & ſic in hac acceptione a Pagn. ſumitur.

Induantur reverentia. Non ſumitur hoc in loco, juxta vim hebraici nominis, *reverentia* pro ut eſt virtus, ſed erubeſcentiæ paſſio deſcribitur per כלמה chelimah.

P S A L M U S XXXV.

A R G U M E N T U M.

Impiorum iniquitati, magnificentiam, ac bonitatem Domini opponit David.

T I T U L U S.

Victori ſervi Jehovæ Davidis. Heb.
In finem ſervo Domini David. LXX.

℣. Autem. Reticet heb.

A N N O T A T I O N E S.

CUr D. P. Auguſtinus dictum non habeat titulum in hoc pſalmo, ignoratur. S. Amb. legit „ In finem ſervo Domioi, pſalmus David “. Euſ. ſicuti Vulg. interpretatus eſt, atque aſſerit ſummam cootiuere doctrioam. LXX. & Hier. vocem *pſalmus* reticent.

Dixit iniquus, ut delinquat. Ex hebræo iſta habetur locutio ſimplex, ac profunda. נאם פשע לרשע בקרב לבי neum peſciagh leraſciangh bekereb libbì, nempe, *dixit iniquitas impio in medio cordis mei.* D. Amb. vertit „ Ut in ſe de- „ linquat “. Niceph. „ putat iniquus ſe clam poſſe delinquere “. Demum Symm. „ dicit de incompoſitione impii intus cor meum, non proponitur timor Dei “.

Noluit intelligere. Expreſſius heb. „ deſiit intelligere “. Sic verbum חדל chadal importat. *Malitiam non odivit.* Heb. „ malitiam cum faſtidio non reje- „ cit a ſe “.

Sicut montes Dei. Frequens, ac elegans hebraiſmus eſt iſte, pro *montes excelſi, validi,* Sicuti Aquila, Euſ. S. Amb. verterunt.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS XXXVI.

ARGUMENTUM.

Iniquorum fœlicitas apparens, juſtorum vero permanens deſcribitur a David. Hortatur ne proſperitate peccatorum offendamur.

TITULUS.

Davidis. Heb.
Ipſi David. LXX.

℣. 1. In vulgatis græcis eſt Psalmus David: at teſtatur Marinus in Cod. Vaticano tantum legiſſe David, quod hebræo concordat.

℣. 2. Cito. Deſideratur in heb.

℣. 23. Et viam ejus volet. Græci impreſſi addunt nimis: in LXX. non habetur.

℣. 26. Commodat. Græci impreſſi hoc in loco nonnulla ponunt, quæ in Cod. Vaticano non leguntur, ita Marin.

℣. 28. Injusti punientur. Quæ verba apud heb. non reperiuntur. Ex quo apparet, vel mendum eſſe in hebraicis impreſſis, vel a transl. appoſita declarationis gratia.

ANNOTATIONES.

ACroſtychus pſalmus eſt. Saulis mors in hoc pſalmo deſcribitur juxta Rabinos, Patres Eccl. ad moralem deveniunt ſenſum.

Noli emulari. Clarior hebraica dictio „ ne commoveare propter malignos “. Euſ. „ noli excitari ad zelotypiam “. Symm. „ noli contendere cum malignis “. Ita etiam D. Hier. vertit.

Tamquam fœnum. Vox חציר chatſir, gramen igni idoneum demonſtrat.

Et paſceris in divitiis. Obvia hebraici textus explicatio eſt „ Et paſcere veritatem „ רעה אמונה Roeh emunahn“. Symm. interpretatus eſt „ & paſcere perpetuo “. Aquila, ac D. Hier. „ Et paſcere fide “.

Obſervabit peccator juſtum. Intimius ex heb. D. Hier. vertit „ cogitat impius de juſto „ זמם רשע לצדיק zomen reſciagh letſaddik “.

Super divitias. Volunt hebraizantes vocem מהמון mahmon divitias male acquiſitas ſignificare.

Confirmat autem juſtos. Per verbum סומך ſomeh aliquid plus oſtenditur, nempe, ſubſtentat, ſublevat.

Cum perierint peccatores. בהכלת behicaret vim in ſententia auget, eſt autem excindi, exterminari, aboleri.

Vidi impium ſuperexaltatum. Non honoris gratia, ſed potius ad ruinam: עריץ arits ſignat *fortem*, & ſecundum ſextam editionem ſic explicatur „ vidi imprudentem jactantem ſe in duritia “ verbum hebraicum ita expreſſit, intimamque vim demonſtrando.

PSAL-

PSALMUS XXXVII.

ARGUMENTUM.

Sui peccati pœnam deſcribit David, ac inimicorum perſecutiones: auxilium a Deo petit.

TITULUS.

Pſalmus ipſi David ad commemorandum. Heb.
Pſalmus ipſi David in rememoratione pro ſabbato. LXX.

℣. 2. Neque. Deſideratur in heb.

℣. 17. Inimici mei. In textu hæc verba non extant; ob ſenſus claritatem appoſita fuere.

ANNOTATIONES.

Nec apud Euſebium, neque Theodoretum, ac hebræum nulla fit ſabbati mentio. R. Salomon docet, David hunc exaraſſe pſalmum, ut peccatorum ſuorum omnis judaica gens recordaretur, ac lacrymis, & ſacrificiis Divinam miſericordiam implorarent. Quid Eccl. Patres ſentiant, vide penes ipſos.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus. כסלי cheslai ilia innuit renibus conjuncta ſub lumbis. S. Baſ. legit „ quoniam impleta ſunt fœmora mea dedecore ". τὸ *illuſionibus* heb. exprimit *ardorem.* D. Hier. *ignominiam.*

Quoniam ego in flagella. Heb. & Symm. „ ad claudicandum paratus ſum ". Vox צלע tſelegh, illum innuit, qui pedibus rectis incedere nequit acerbitate dolorum.

Cogitabo pro peccato meo. Heb. habet, timebo, ſolicitus ero vehementiſſime.

PSAL-

PSALMUS XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Dum quis in anguſtiis ſe poſitum eſſe cognoſcit, quærere Deum oportet in oratione. Vitæ noſtræ brevitatem, ac miſeriam David demonſtrat.

TITULUS.

Victori ipſi Jeduthun canticum Davidis. Heb.
In finem ipſi Idithun canticum ipſi David. LXX.

℣. 6. VERUM TAMEN UNIVERSA VANITAS OMNIS HOMO VIVENS. Deficit CONTURBATUR OMNIS. Sed in margine LXX. poſuerunt. Quod ſi in exemplaribus græcis, & hebraicis non reperiatur, ſcriptorum negligentia contigit.

ANNOTATIONES.

IDem, ac Ethan eſſe Idithun contendit Calmet. Ex principibus erat inter cantores, ideo videtur hac vice pſalmum cantaſſe præſentem.

Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Heb. „ obſervabo vias meas, ne peccem lingua mea “.

Menſurabiles poſuiſti dies. Clarior ſententia ex heb. inſurgit „ ut palmos poſuiſti dies “: velut D. Hier. vertit „ breves “. Symm. „ tamquam palmas dediſti dies meos “. Hebraicam vocem ſic Euſ. expreſſit „ vocatos eſſe hominis dies, „ eo quod pleni ſint certaminis, & luctæ, & tentationum “. Quam explicationem etiam D. Amb. ſequitur.

Et ſubſtantia mea. Verbum חלד cheled *ævum* proprie ſignificat *ætatem vitæ*: ita Symm. D. Hier. & Pagn.

Univerſa vanitas. Adamuſſim vim verbi Symmacus explanavit dicendo „ Vapor “.

In imagine pertranſiit. Verbum צלם ſelem aliquid plus exhibet, nempe umbra, quæ illico evaneſcit.

A fortitudine manus tuæ. Senſum vulg. expreſſit: vox vero hebræa, bellum, contentionem innuit.

Ut refrigerer. Symm. & D. Hier. virtutem nominis intimius reddiderunt „ ut rideam “.

Digitized by Google

PSALMUS XXXIX.

ARGUMENTUM.

Ex graviſſimo erepto periculo David gratias agit, pro quo Deo ſemetipſum offert cum holocauſtis, & canticis.

De Chriſti obedientia uſque ad mortem crucis, & de abrogatione legalium ſacrificiorum intelligunt Ath. Didym. & Theodoretus.

TITULUS.

Victori ipſius Davidis canticum. Heb.
In finem ipſi David, pſalmus. LXX.

℣. 7. Autem. Apud heb. non extat.

ANNOTATIONES.

Ex hebræorum doctorum turba R. Salomon primus eſt, qui de egreſſu populi Iſrael de Ægipto credat eſſe exaratum præſentem pſalmum. Patrum variæ extant opiniones.

De lacu miſeriæ. In textu legitur מבור שאון mibbor ſceon, ideſt, de puteo, de voragine ſonitus, tumulti, frăgoris. Inde hebraizantes adjudicant, LXX. methaphora uſos eſſe, cum ex his miſeria proveniat.

Direxit greſſus meos. Majorem vim ex heb. eruimus, firmavit, tute ſtabilivit.

Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti. En, quod nunc in hebræo reperitur עולה וחטאה לא שאלת olah, vachatah lo ſciaalta, ideſt, *ſacrificium, & peccatum non poſtulaſti*, quod intelligendum eſt de ſacrificio pro peccato, ita expoſitores.

Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui mihi dicunt euge, euge. Quid hebraica phraſis exhibeat, animadvertite „ Deſolentur pro mercede pudoris ſui, qui „ dicunt mihi heah, heah “.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS XL.

ARGUMENTUM.

Pro benefacientibus afflicto, ac in miſeriis poſito Deum orat. De ſubdolis queritur amicis.

TITULUS.

Victori cantus Davidis. Heb.
In finem pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 2. PAUPEREM. Deficit in textu.

℣. 7. ET SI INGREDIEBATUR, UT VIDERET. In aliquibus græcis exemplaribus, quæ nunc innuimus, deſiderantur. Apud hebræos, LXX., & interpretes omnes leguntur.

ANNOTATIONES.

QUi *intelligit.* Hebraica vox משכיל maſchil accuratam, & ſolicitam cogitationem demonſtrat. *Super egenum.* Verbum דל dal illum deſcribit, qui non ſolum divitiis caret, verum etiam carne emaciatus eſt.

Dominus opem ferat illi. Plus exhibet סצר ſaad, aſſiduam Dei curam erga afflictum depingit.

Verbum iniquum. Per בלציל beliaal impietas, & omnium maledictorum genus demonſtratur.

Magnificavit ſuper me ſupplantationem. D. Amb. placuit „ ampliavit “. Heb. & S. P. A. „ adverſum me calcaneum “. Sic etiam Aquila.

Me propter innocentiam ſuſcepiſti. Simplicior, ac elegantior hebraica phraſis „ Et ego in perfectione mea ſuſtentaſti me ואני בתמי תמכת בי veanl betuml „ tamacta bi “.

Primi libri pſalmorum finis juxta hebræos.

SECUNDUS PSALMORUM LIBER APUD HEBRÆOS.

PSALMUS XLI.

ARGUMENTUM.

Ad videndum Domini tabernaculum ſpe ſolatur propheta.

TITULUS.

Victori intelligentia filiis Corach. Heb.
In finem, in intellectum filiis Chore. LXX.

V̸. II. EXPROBRAVERUNT, MIHI QUI TRIBULANT ME INIMICI MEI. τὸ INIMICI MEI, in aliquibus exemplaribus græcis non habetur; reperitur tamen apud LXX.

V̸. 12. SPERA IN DEO QUONIAM ADHUC. τὸ ADHUC ſub aſteriſco in nonnullis græcis impreſſis poſitum eſt.

ANNOTATIONES.

ASſerentes pſalmos omnes a Davide exaratos eſſe, putant, præſentem datum filiis Corach fuiſſe, ut canerent: verum & ii animadvertere poterant, non inter cantores, ſed janitores illos recenſeri, ſicuti ex Paralip. 26. habetur. D. Hier. R. Salomon, cæterique hebræorum doctores contendunt, ab illis conditum fuiſſe, ſeu potius ab ipſo Corach. Idem aſſerunt Kimki, Euſeb. & alii plures. Omnes igitur pſalmi, qui hunc præſeferunt titulum, ipſius Corach genuinus partus eſt; cum juxta expoſitores nonnullos, & ex ipſa S. Scriptura eruitur, prophetantem Spiritum a Domino obtinuiſſe.

Quemadmodum deſiderat Cervus. Propriam, convenientemque cervi actionem hebraicum verbum exprimit ſic, כאילתערג cheaial tagharog ſicut cerva clamat, ſeu glocitat. Optime etiam Symm. „ Sicuti feſtinat cervus“. Diverſa utitur phraſi ſexta editio „ quemadmodum campus ſitiet imbrem“. Aquila, & D. Hier. „ quemadmodum convallis ſitiet imbrem“.

Quare triſtis es anima mea. Major habetur ex hebræo virtus „ quare proſternis, „ dejicis“: ita exhibet verbum שחה ſciachah.

De terra Jordanis, & Hermoniim. Jordanis hebraice vocatur Jarden, celeberrimus fluvius ſic dictus à jarad, nempe, *deſcendit*; cum illius aquæ rapidæ, ac veloces ſint. In Jordanis ripa ita frequentes conſpiciuntur arundines, junci, ſalices, aliæque arbores, ut tempore æſtivo difficillime illius aquæ videri poſſint. Inter arundineta leones deliteſcunt. Ejus latitudo prope Jerichuntem ſexaginta circiter pedum eſt: quaquaverſum maximam habet planitiem, ac in æſtate aridiſſima eſt, illiuſque aer impurus experitur.

Hermoniim nonnulli volunt montem eſſe circa Jordanem, in quo copioſa ros deſcendit.

In voce cataractarum. Fiſtula vox hebræa לקול lekol interpretatur, copiam demonſtra. deſcendentium aquarum.

PSAL-

PSALMUS XLII.

ARGUMENTUM.

Ne in reliquorum impiorum hominum pœnas ingrediatur orat propheta.

TITULUS.

Pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 4. CONFITEBOR. Hebræus addit ו vau, nempe, ET: unde ET CONFITEBITUR.

ANNOTATIONES.

NEque in hodierno hebræo reperitur titulus in hujus pſalmi initio, neque in antiquo, texte Euſebio. Ex Patribus, & Judæis aliqui cenſent, ſuperioris partem eſſe.

Judica cauſam meam. וריבה ריבי veritah ribi litiga litem meam hebræus emphatice legit.

Triſtis es. Vim verbi quinta editio auget „ quare humiliaris, & deprimeris? “. Quod eſt juxta heb. שחח Sciachah.

PSALMUS XLIII.

ARGUMENTUM.

Mirabilia, quæ olim in ſuo populo operatus eſt Deus, propheta hic enumerat. Pro infortuniorum liberatione orat.

TITULUS.

Victori filiis Corach intelligentia. Heb.
In finem filiis Chore ad intellectum, pſalmus. LXX.

℣. 5. ES... MEUS. Nunc in hebræo non habentur.

℣. 10. ET NON EGREDIERIS DEUS IN VIRTUTIBUS NOSTRIS. τὸ Deus redundat.

ANNOTATIONES.

S. Ambroſius teſtatur, Aquilam poſuiſſe in titulo *pſalmum diſciplinæ*: quod nullibi reperitur.

Sine pretio. Apud heb. eſt ſine divitiis ולא הוז velo hoz. Diod. habet „ pro nihilo “.

Poſuiſti nos opprobrium. Optime ex hebræo Aquila vim verbi interpretatus eſt, nempe „ ſpretionem, & pompam poſuiſti nos iis, qui in circuitu noſtro „ ſuat “.

Quo-

Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis. Ex hebræo major eruitur virtus „ quoniam contriviſti nos in loco draconum “ & ſicuti illi in deſertis habitant locis, ubi ad vitæ commoda omnia deficiunt, ſic propheta unico draconis verbo hæc expreſſit. S. Amb. legit „ in loco afflictionis “. D. Parens „ de loco „ infirmitatis “. Aquila, Euſ. „ confregiſti nos in loco deſerto “ quod hebræo propius eſt, eandem exprimentes vim.

PSALMUS XLIV.

ARGUMENTUM.

Super pulchritudinem, virtutes, & juſtitiam Eccleſiæ Chriſti propheta canit.

TITULUS.

Victori ſuper Soſannim filiorum Corach intelligentia canticum amorum. Heb.
In finem pro iis, qui commutabuntur, filiis Chore ad intellectum, canticum pro dilecto. LXX.

℣. 4. Tuum. Ad declarationem additum.

℣. *6.* Sagittæ tuæ acutæ. Græcus legit acutæ potentiſſime, at perperam: nam de ſuperiori verſiculo additum eſt: ita S. Hier.

℣. 10. Circumdata varietate. Hæc heb. reticet.

℣. 12. Deus. Neque in hebræo, neque in græco *τὸ* Deus extat.

ANNOTATIONES.

HUjuſce tituli plures reperiuntur explicationes. D. Hier. vertit „ victori pro „ liliis filiorum Chore, eruditionis canticum amantiſſimi “. Aquila „ Vincenti pro liliis filiorum Chore ſcientis canticum amoris “. Symm. „ triumphus „ pro floribus filiorum Chore intelligentiæ canticum in dilectum “. Hæc præcipuæ ſunt, reliquas apud exp. vide. Et licet videantur in diverſa abire, unitatem ſenſus tamen ſervant. Soſannim lilia ſignificat, quod nomen D. Hier. temporibus in pl. tantum habebatur ab hebræis.

Eructavit cor meum. Ex textu D. Hier. vertit „ commotum eſt cor meum „ verbo bono “. Dictio רחש rachas exhibet ebullitionem per modum ferventis ollæ.

Proſpere procede, & regna. Jucundius in heb. „ proſpere age, & equita ſuper „ verbum veritatis, & manſuetudinis &c.“ Sic רכב על דבר אמת racab aldevar emet.

Filiæ regum in honore tuo. Clarius ex hebræo Filiæ regum in honorabilibus tuis, vel inter honorabiles tuos ביקרותיך bekiroteha.

Filia Tyri. Hoc eſt, filia fortis, ſicuti Symm. interpretatus eſt: qua vero cauſſa, ſequentia legenda ſunt.

In Phœnicia Tyrus fortiſſima civitas poſita eſt, quæ in hebræo ſur appellatur, nempe, petra, arx. Priſcum hujus urbis nomen nonnulli Sarram fuiſſe exiſtimant. Ab illa numquam Chananæos dejectos fuiſſe comprehendimus, licet forte tribui Aſer ceſſiſſet. Fundationis epoca, juxta Joſephum 240. annis ante con-

conſtructum Salomonis templum apparet: quod ſi verum eſt, cum anno Mundi convenit 2760. Illius civitatis veſtigia etiam noſtra ætate conſpiciuntur, uti rudera aquæductuum. Illius ædificatores, texte Tehogo Pompeo, Sidonii extitere, cum ab Aſcalonitarum regibus debellati fuerunt. Hi uſque ad hunc pervenerunt locum, ibique, paucis ante captam Trojam, Tyrum a fundamentis erexerunt. Hæc potentior ac cæteris civitatibus Phœniciæ dictior extit. Tamen Homerus, uti Strabo obſervat, numquam meminit, licet de Sidoniis ſermonem inſtituat. Florida uſque ad Regem Nabuchodonoſor permanſit, qui poſt tredecim annorum obſidionis curriculum eam diruit. Tunc habitatores ad proximiorem aufugerunt inſulam, novamque Tyrum ædificarunt maximæ molis, ac fortitudinis, ac in ſua quiete permanſit uſque ad Alexandrum Magnum, qui ditioni ſuæ ſubegit. Non libera Tyrus fuit, ſed a regum imperio directa: quorum ſucceſſio protinus ignoratur, niſi poſt mortem Abibali. Joſeph judæus, qui a Menandro, & Dione Tyriorum hiſtoriam hauſit, admonet, quod Hiramus Abibali filius patri in regno ſucceſſit anno trigeſimo tertio regni David, 1020. annis ante Chriſtum, ejuſque dominium triginta quatuor annis perduravit. Is novam Tyrum auxit, ac tutiſſime munivit; poſt hæc vitæ ceſſit. In ejus loco Balthaſar electus fuit, qui ſeptem annis regnavit. Deinde Abdaſtratus ejus filius verum poſt novem annorum ſpatium, a ſuæ nutricis filiis miſerime necatus eſt. Quæ quidem regum ſucceſſio uſque ad Nabuchodonoſorem pervadit, deinde ab hebræorum ſuffetis, ſeu judicibus directi fuere Tyrii.

PSALMUS XLV.

ARGUMENTUM.

Filii Chore cum ſe a periculo liberatos eſſe proſpiciant, hymnum Domino canunt.

TITULUS.

Victori filii Corech ſuper alamoth, canticum. Heb.
In finem pro filiis Chore, pro arcanis pſalmus. LXX.

℣. *6.* NON COMMOVEBITUR. Græcus addit ET.
℣. 7. DEDIT VOCEM SUAM. Hic nonnulla apud græcos appoſita leguntur.
℣. 11. VACATE ET VIDETE. τὸ ET tam hebræus, quam græcus reticent.

ANNOTATIONES.

HEbræorum plurimi autumant, nomen alamoth muſicum inſtrumentum ſignare. Alii vertunt pro juventutibus, quibus D. Hier. convenit. S. P. Aug. & Amb. „ pro occultis " verunt.

Quod vero præſentis pſalmi materia circa filiorum Chore liberationem verſetur, omnes unanimiter conveniunt. R. Salomon obſervat, filios Chore ſalvatos eſſe a periculo miraculoſe, ideo ait, addiderunt *non timebimus dum turbabitur terra.* Verum hæc rabinica ponderatio nullius roboris eſt, quia tale non legitur ſignum poſtea factum, maxime tempore filiorum Chore.

Sonuerunt. Fremant, & turbentur aquæ, ſic legit heb. Euſ. autem, & Symm. „ ſonantibus, & intumeſcentibus ".

PSAL-

PSALMUS XLVI.

ARGUMENTUM.

Tempore translationis arcæ Domini omnes ad laudandum illum propheta invitat.

TITULUS.

Victori filiis Corach, cantus. Heb.
In finem, pro filiis Chore pſalmus. LXX.

℣. I. PRO FILIIS. τὸ pro heb. reticet.

ANNOTATIONES.

IN *voce exultationis.* רנה rinnah feſtivum clamorem cum ſtrepitu innuit.

Speciem Jacob. Gloriam exprimit Hebræus. Theodoretus „ excellentiam, „ & elationem Jacob “. Symm. „ glorificationem Jacob “. Quinta editio „ glo„ riationem Jacob “.

Pſallite ſapienter. Erudite Hebraica vox demonſtrat. Sic D. Hier. vertit.

PSALMUS XLVII.

ARGUMENTUM.

Jeroſolymæ triumphum, ac fœlicitatem canit.

TITULUS.

Canticum pſalmi filiis Corach. Heb.
Pſalmus cantici filiis Chore, Secunda Sabbati. LXX.

℣. 5. REGES TERRÆ CONGREGATI SUNT. REGES EJUS græcus habet quapropter τὸ TERRÆ redundat, ut apparet ex ipſa textus lectione: ideo D. Hier. abſtulit. In veteribus latinorum Cod. reperiebatur: tamen neque in hebræo, neque in LXX. reperitur.

℣. 10. IN MEDIO TEMPLI TUI. Græcus habet „ populi tui “ verum hebraica veritas, atque LXX. „ templi tui “ legunt.

ANNOTATIONES.

D. P. Auguſtinus, ac Amb. ſicuti LXX. titulum retinent „ ſecunda ſabbati “. Tam hebræus, quam Euſeb. & Jo. Chryſ. reticent.

Fundatur exultatione. LXX. habent „ Bene radicans exultatione “. Quam dictionem Patres græci ſic explicant, ut D. Jo. Chryſ. „ bene radices faciens, „ bene figens, bene firmans eam in gaudio “. Scholiaſtes inquit, eſſe in hebraica le-

lectione „ bene eradicatam exultationem “. D. P. & S. Amb. „ dilatans ex-„ ultationes “. Quinta editio „ bene germinibus prædita “. Demum S. Hier. ex heb. „ Specioſo germine “. יפה נופה jepeh noph.

Commoti ſunt. חפז chapaz nedum commoveri denotat, ſed cum feſtinatione fugere, & in hac acceptione hoc in loco eſt explicandum.

Naves Tharſis. Tharſis regio eſt, quo Salomon claſſes mittebat. Quæ nam aſſignetur regio hoc nomine, obſcurum eſt, cum quæſtio inter eruditos exiſtat: tamen non obſcure Tharſis urbem Tharſum, & Ciliciam deſignat. Naves, quæ illuc petebant, in illis locis conſtruebantur, ubi commodum erga Tharſum Ciliciæ videbatur iter. Aliqui exiſtimant, pro nomine navium Tharſis, naves ad longinqua itinera inſtructas ſignificare.

PSALMUS XLVIII.

ARGUMENTUM.

Divitiarum vanitatem hic propheta oſtendit.

TITULUS.

Victori filiis Corach pſalmus. Heb.
In finem filiis Chore pſalmus. LXX.

℣. 10. Adhuc. In græco non extat.

℣. 16. De manu inferi, cum acceperit me. Ita heb. & græc. legunt. D. Hier. putat, utrumque depravatum eſſe.

℣. 17. Et. Apud hebræos non reperitur.

℣. 21. Homo cum in honore esset. Græcus conjunctivam particulam addit.

ANNOTATIONES.

ET *laborabit in æternum.* Diverſimode habet hebræus, eſt enim חדל chadal, quod ceſſavit, quievit ſignificat. Ita Aquila interpretatus eſt „ & quievit in „ ſæculum, & vivet in finem “. Symm. „ ſed deſinens ſæculo huic, vivens ſem-„ per perſeveravit “. Unde videtur, Vulg. legendum eſſe modo interrogativo.

Simul inſipiens, & ſtultus. D. Parenti A. placuit „ imprudens, & inſipiens “. Symm. „ amens, & indocilis “ quod hebræo proprius eſt.

Et homo, cum in honore eſſet, non intellexit. ואדם ביקר בל ילין veadam bikar baljalin, & in honore non pernoctavit homo. Quid clarius, ac fortius?

Digitized by Google

PSALMUS XLIX.

ARGUMENTUM.

Supremum judicium hic indicitur. Non pecudum ſacrificiis eſt fidendum, ſed juſtitiæ, ac innocentiæ.

TITULUS.

Cantus ipſi Aſaph. Heb.
Pſalmus ipſi Aſaph. LXX.

℣. 2. Species ejus. τὸ ejus non legit hebræus.

℣. 15. Tribulationis. Græcus addit tuæ.

℣. 20. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris. Aliqui ex græcis legunt detrahebas, pro loquebaris.

℣. 21. Inique. Heb. reticet.

℣. 22. Ne quando rapiat, et non sit qui eripiat. Solummodo græcus retinet „ non ſit qui eripiat ". Verum incuria librariorum prima deficiunt verba, cum D. Hier. etiam illa tranſtulerit.

ANNOTATIONES.

Quid de Aſaph dicendum ſit, jam in diſquiſitione pſalmorum loquuti ſumus, ſolummodo quid D. Hier. omneſque hebræi ſentiant, addam. Ille nedum dum cantor extitit ſed etiam propheta, qui duodecim exaravit pſalmos. A ſtyli varietate auctoris diverſitas oſtenditur: ſic in pſalmis Aſaph acrior, ac durior exurgit eloquutio.

Deus Deorum Dominus. Ex hebræo Theodoretus „ fortis Deus loquutus, „ & vocavit terram ".

Tempeſtas valida. Proprius ex textu habetur „ tempeſtate commovebitur ter„ ra vehementer ". Juxta Aquilam „ excitatus eſt turbo ".

Cognovi omnia volatilia Cæli. Tantummodo hebraicum nomen de peculiaribus avibus alloquitur, עוף הרים harim ghof, nempe aves, quæ in montibus nidificant.

Vota tua. D. P. Aug. legit „ preces tuas ". S. Hier. ad Suniam ſcribens, animadvertit, nomen illud utrumque ſignificare, at hoc in loco Vulg. ſequi debet.

Currebas cum eo. Vox hebraica curſum cum delectatione demonſtrat.

Digitized by Google

PSALMUS L.

ARGUMENTUM.

De adulterio, & homicidio miſericordiam a Deo petit David.

TITULUS.

Victori pſalmus ipſius David, quando venit ad eum Nathan propheta, poſteaquam intraverat ad Bathſeba. Heb.

In finem pſalmus ipſi David, cum venit ad eum Nathan, quando intravit ad Berſabeam. LXX.

℣. 3. SECUNDUM MAGNAM. τὸ MAGNAM additum cognoſcimus, nam in hebræo non extat.

℣. 8. SAPIENTIÆ TUÆ. τὸ TUÆ tranſl. appoſuerunt declarationis cauſſa.

℣. 9. ASPERGES ME DOMINE. Neque apud heb. neque græc. Domine reperitur.

℣. 20. DOMINE.... BONA. Hæc in heb. non leguntur.

ANNOTATIONES.

NOtat R. Aben Eſdra, noviſſimos hujus pſalmi binos verſiculos ab aliquo pio Judæo additos eſſe, quam conjecturam etiam e catholicis aliqui non aſpernunt.

Non immediate poſt peccatum deflevit David, ſed poſt Uriæ occiſionem: ita Patres, ac Hebræi omnes ſentiunt.

Secundum Multitudinem miſerationum. In verbo רחמים rechanim commotionis viſcerum actus inſinuatur.

Spiritum rectum innova. Per verbum נכון nacon plus demonſtratur, ita rectum ſpiritum propheta poſtulat, ut nullo tempore ad malum deflectat.

Spiritu principali. נדיבה nedibah, regio, magnifico oſtendit.

Digitized by Google

PSALMUS LI.

ARGUMENTUM.

Iniquum Doeg Idumæum redarguit David, eique fatale prædicit exitium.

TITULUS.

Victori intellectus ipſius David; Cum veniſſet Doeg Idomæur, & nunciaſſet ipſi Sauli, & dixiſſet ei, venit David in domum Achimelech. Heb.
In finem intellectus ipſi David, cum venit Doec Idumæus & annunciavit Sauli; & dixit ei, venit David in domum Abimeleh. LXX.
Omnia in hoc pſalmo hebræo, & LXX. conveniunt.

ANNOTATIONES.

QUid *gloriaris in malitia.* D. Pater A. habet „ quid gloriatur in malitia, qui „ potens eſt? in iniquitate tota die &c. " Sententiam dividens claritatis gratia. Hodieraus hebræus retinet חסר אל cheſedel *miſericordia Dei tota die.* Gen. & Bellar. contendunt verbum חסר etiam *ſcelus* ſignificare.

Injuſtitiam cogitavit. הוות havot ſunt iniquitates decipiendi proximum ſuum.

Ecce homo.... qui. Vox גבר gheber non de quocumque dicit homine, ſed virtutibus prædito, virumque præclarum innuit.

PSALMUS LII.

ARGUMENTUM.

Quanta ſit iniquorum impietas, & nequitia, hic a David demonſtratur.

TITULUS.

Victori ſuper mahalath intelligentia ipſius David. Heb.
In finem pro maleth intellectus ipſius David. LXX.

℣. 5. NONNE SCIENT OMNES. τὸ OMNES additum eſt.

ANNOTATIONES.

IN diverſis variæ leguntur tituli hujus interpretationes. Mahalath D. Hier. *chorum* vertit, quæ quidem explicatio majores enumerat ſequaces, quam nonnullorum rabinorum commentum, qui pro muſicali inſtrumento nomen illud aſſumunt. Theodotio habet „ prochoræa ". Symm. „ perchorum ". Aquilia vero „ tripudia ". Demum D. P. Aug. „ pro parturiente, ſeu dolente ".

Pro

Pro templi futura reſtauratioue ſuſpicantur hebræi præſentem pſalmum exaratum fuiſſe: præcipue vero Rab. Salomon totus eſt in demonſtrando in hoc templi reſtaurationem, collectionemque in unum judaici populi vaticinari. At quam falſum ſit rabinicum aſſertum, nemo eſt, qui non videat.

Inutiles facti ſunt. נאלחו neelehu aliquibus exprimere placuit, fœtidi facti ſunt, malitiam, ac impiorum vitia deſignantes.

PSALMUS LIII.

ARGUMENTUM.

Adverſus proditores auxilium a Domino poſtulat David.

TITULUS.

Victori in neghinoth intelligentia ipſius Davidis eum veniſſent Riphæi, & dixiſſent ad Saul, non ne David abſconditus eſt apud nos? Heb.

In finem in hymnis, intellectus David, cum veniſſent Riphæi, & dixiſſent ad Saul, nonne ecce David abſconditus eſt apud nos? LXX.

ANNOTATIONES.

Nihil certi pro intelligentia nominis neghinoth habemus. Hebræi, ut mos eſt, ad muſicum inſtrumentum confugiunt. Verum nullibi in ſacra ſcriptura memoratur, neque inter cætera muſicalia recenſetur inſtrumenta.

Quoniam alieni. Etiam impios, ac ſuperbos nomen זרים zerim explicat.

PSALMUS LIV.

ARGUMENTUM.

Cum veros amicos perdifficile ſit recognoſcere, ideo David, ut a falſis liberetur, orat.

TITULUS.

Victori in neghinoth intelligentia ipſius David. Heb.

In finem in hymnis intellectus ipſi David. LXX.

℣. 9. Expectabam eum. Græci legunt Deum, quod additum videtur.

℣. 13. Inimicus meus. Tam in hebræo, quam in græco τὸ meus non apparet.

ANNOTATIONES.

S. Hilarius inquit „ hymnos, aliqui tranſlatores noſtri carmina nuncupaverunt, „ plerique autem hymnos ex ipſa græcitatis uſurpatione poſuerunt".

In

Digitized by Google

In ira moleſti erant mihi. ישטמוני iſtemuni quod *odium* eodem tempore demonſtrat. S. P. A. legit „ adumbrabant me ".

Dulces capiebas cibos. נמתיק סוד namtik ſod, hæc verba amicitiæ vinculum declarant, qui ſimul dulciter communicabimus ſecretum. Sic Aquila, & D. Hier. Symm. autem „ qui communicando reddebamus dulcem conſuetudinem, & col„ loquutionem ".

Annuntiabo. Non ſimpliciter, ſed cum tumultu, vehementi inſtantia, ita in dictione ואהמה vehemeh elucet.

Diviſi ſunt ab ira vultus ejus. Davidica phraſis, prout in hebræo jacet. melius comprehenditur „ leniora ſunt magis, quam butyrum verba oris ejus ". ita Pag. vertit, חלקו מחמאת פיו chalku mahamaat piu. D. Pater A. ut Vulg. habet. Symm. „ leviora butyro ora eorum ".

PSALMUS LV.

ARGUMENTUM.

Saulis perſecutionem fugens David, Deum orat, ne ſuccumbat.

TITULUS.

Victori ſuper columbam mutam in remotis ipſius Davidis ad michtam, cum comprehendiſſent eum Peliſthim. Heb.

In finem pro populo, qui a Sanctis longe factus eſt, ipſi David in tituli inſcriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Get. LXX.

℣. 3. AB ALTITUDINE DIEI TIMEBO. Græcus legit, non timebo, ex quo librariorum incuria eluceſcit, alias ſenſum gigneret diverſum.

℣. 13. VOTA TUA, QUÆ REDDAM. τὸ QUÆ additum apparet, in textu non habetur.

ANNOTATIONES.

Ex huius tituli lectione, quomodo ſe habuit David in illo eventu, innoteſcit. Super columbam mutam, en in maledictis taciturnitas. Michtam ſecundum nonnullos Hebræos, nomen iſtud dividitur in *mich* & *tam*, humilis, nempe, ſimplex, perfectus: quæ quidem omnia ſancto conveniebant prophetæ. Ex rabinis alii dictionem illam pro peculiarem cantum uſurpant: unde Rab. Salomon ſentit, præſentem inter cæteros pulchriorem pſalmum eſſe. Catholici expoſitores varias afferunt explicationes, quas apud ipſos videre eſt.

Apud Aquilam eſt „ Vincenti pro columba muta elongationem Davidis hu„ milis, quando &c. " quod hebræo convenit. Symm. „ triumphus pro columba, „ pro allophylo, qui expulit Davidem humilem animo, & immaculatum ".

Quoniam conculcavit me homo. In textu eſt שאף ſciaph, quod abſorbuit, attraxit ſpiritum oſtendit.

Ab altitudine diei. Clarius ex heb. כל היום col hajom *omni die*, *o excelſe*, ſic Aquila. Theodotio „ interdiu timebo ".

Vitam meam annuntiavi tibi. In hodierno hebræo legitur נדי nodi, hoc eſt, *migrationes meas.* In aliquibus exemplaribus reperitur סדי ſodi ſecreta mea.

PSAL-

PSALMUS LVI.

ARGUMENTUM.

In ſpelunca deliteſcit David, ut de Saulis perſecutione ſe ſe eripiat, quo obtento, Deo gratias refert.

TITULUS.

Victori, ne diſperdas, ipſius Davidis michtam, quando fugit a facie Saul in ſpeluncam. Heb.
In finem, ne diſperdas, ipſi David in tituli inſcriptione, cum fugeret a facie Saul in ſpelunca. LXX.

℣. 5. Et eripuit. Modo ſuppreſſum eſt in textu, licet olim legeretur. Fieri potuit a transl. denuo poſitum fuiſſe, declarationis cauſſa Catulorum. Additum cernimus, cum in hebræo minime reperiatur.

ANNOTATIONES.

D*Onec tranſeat iniquitas.* הוות havot licet iniquitatem denotet, tamen Symm. & D. Hier. transferre placuit *calumniatorem*, *oppreſſorem.* Aquila vero „ donec tranſeant inſidiæ ". Pagn. „ contritio ". Quæ aliquid peculiare in iniquitate oſtendunt.

Dormivi conturbatus. Hebraica phraſis hujuſmodi apparet ex Pagn. *dormivi inter urentes* אשכבהלהטים aſchebah lohatem. Theodotio ſcribit „ dormivi cum „ abſumentibus ". Aquila „ cum vehementibus ". Symm. „ cum ardentibus ". In Scholio plenius refertur hoc ex eodem Symm. „ bene fidens dormivi inter „ ardentes ".

PSALMUS LVII.

ARGUMENTUM.

Saulis ejuſque ſectatorum exitium vaticinatus eſt David.

TITULUS.

Victori, ne diſperdas, ipſius Davidis michtam. Heb.
In finem, ne diſperdas ipſi David in tituli inſcriptione. LXX.

℣. 6. Et. Neque in hebræo, neque in græco reperitur.
℣. 12. Si. In heb. non extat.

ANNOTATIONES.

R. Salomon ſic titulum vertit „ ad victoriam ne diſperdas David, ſuave canticum ". D. Hier. „ Victori ut non diſperdas David humilem, & ſimplicem ".

Ma-

Manus noſtræ concinnant. תפלסון tepalleſun eſt *appendere.* Vide San. Pagn. & Buxt. lexic. D. P. A. habet „ connectunt “. S. Hil. complectuntur „ quod „ clariorem ſententiam reddit“.

Vocem incantantium. Sic Aquila, Theodot. Pagn. LXX. Symm. autem, & S. Hier. „ murmurantium “ uti videtur ſignificare nomen מלחשים malachaſcim. *Et venefici incantantis.* Non omnes in hoc transl. conveniunt. LXX. legunt „ Et medicamenti medicati a ſapiente “. Ita etiam S. Hil. & Apoll. Apud alios legitur „ Veneficio, qua incantatur a ſapiente“ quam lectionem Lucifer ſequitur. Aquila hebræo propius „ docti incantare incantationem “. Symm. „ incantatoris docti incantationes“. Heb. חובור חברים מחכם chober chabarim mechucam, incantatis incantationum periti.

Sicut cera, quæ fluit. In hodierno hebræo eſt שבלול ſciabelul *limax* ita LXX. & Theodot. Symm. habet „ ſicut ſecunda membrana diſſoluta deficit “.

Spinæ veſtræ rhamnum. Clariori forma Symm. „ priuſquam auctæ ſint ſpinæ „ veſtræ, ita ut fiant rhamnus “. Heb. בטרם יבינו סירתיכם אטר beterem jabinu ſirotechem atad, nempe, priuſquam intelligant, percipiant lebetes veſtri rhamnum. Tamquam proverbium ab hebræis ſumitur.

PSALMUS LVIII.

ARGUMENTUM.

A Saulis ſervis David domi circumdatus, ut liberetur, deprecatur.

TITULUS.

Victori, ne diſperdas, ipſius Davidis michtam, quum miſiſſet Saul, ut obſervarent domum, ut interficerent eum. Heb.

Ṽ. 10. Susceptor meus es. *τὸ* es. in LXX. reperitur, ſecus autem in hebræo.

Ṽ. 14. Et finium terræ. D. Hier. fatetur, non inveniſſe *τὸ* et in textu Davidico.

ANNOTATIONES.

Cum titulo implicatur argumentum, de quibus Nyſſenus maxime differit. Ibi enim quanti faciat Davidis manſuetudinem, inſpicitur per verbam illud, *ne diſperdas*, amicam jucundamque vocem appellando.

Sanctorum Hilarii, & Aug. judicium circa intimum hujus pſalmi ſenſum eſt, quod myſterium de Chriſti paſſione ſub hyſtoria contineatur; addit etiam D. P. aliqua contiueri, quæ magis conveniunt myſtico Chriſti corpo, ut quod cuſtoditus dicatur David in domo ad inficiendum eum, nempe, quia dum cuſtodiebatur ſepulchrum Chriſti jam mortui, hoc intendebatur, ut moreretur fides in nobis.

Ab inſurgentibus in me libera me. שגב ſcegheb vere *attollere* ſignat, ita ut nemo eum poſſit attingere: ibi egregia antitheſis reperitur, ut dum alii ſe ſe erigunt inſurgendo, & inſultando, Deus altius exaltet eum, contra quem inſurgitur.

Cu-

Cururri, & dirrxi, Symm. „ accurrerunt, ut percutiant me “. Heb. ויקוננו בלי-עון ירצון beli avon jerutſun, vaiconanu, hoc eſt, *ſine rulpa currerunt, & paraverunt ſe.* D. Hier. „ non egi inique, & illi currerunt, & præparantur“.

In ira ronſummationis, & non erunt. Emphaſis vivida in hebræo adeſt, quam D. Hier. & Symm. ita explicarunt „ conſume in furore, conſume, & non amplius ſint ipſi “. כלה בחמה כלה ואינמו calleh bechemah, calleh, veenemo.

Ipſi diſpergentur. Per verbum ינועון jenohun *vagabuntur* exprimitur; impiorum miſeria, ac pœna ſic dignoſcitur.

Famrm patientur ut ranes. Latrabant pre fame ut canes, juxta vim verbi hebraici habemus, ubi ſimplicior, ac fortior ſenſus apparet, & elucet. Symm. „ tumultuentur tamquam canes, circumeuntes civitatem “.

PSALMUS LIX.

ARGUMENTUM.

Phyliſtæis, Syris, ac Moabitis a Davide diſperſis, ad expeditionem alteram ſe parat, & divinum implorat auxilium.

TITULUS.

Victori ſuper Suſan-eduth, mirhtam ipſius Davidis ad docrndum, cum bellum gererrt rontra Aram Naharaim, & contra Aram Sobah, & cum reverſus eſſrt Joab, & prrcuſſiſſrt Edom in valle Salis duodrrim millia. H*eb.*

In finrm iis, quæ immutabuntur in tituli inſcriptionrm ipſi David in doctrinam, rum ſuccendit Meſopotamiam Syriæ, & Syriam Sobah, & ronvertit Joab, & perruſſit vallem Salinarum duoderim millia. LXX.

℣. 3. Et. bis lectum hoc in verſiculo, hebræus reticet.

℣. 11. Quis deducet me. In aliquibus græcis exemplaribus habetur, aut quis: quod redundat.

ANNOTATIONES.

Tituli prolixitas, ut D. P. A. obſervat, pſalmi brevitate compenſatur. Ex illius lectione, quid hic pſalmus reſpicint, innoteſcit. Ut autem facilius intima ſignificatio clareſcat, rememorari oportet, Davidem bellatorum exercitum cum Joab contra filios Ammon miſiſſe, qui ipſius regis nuncios injuriis affecerant. Cum Joab victor rediiſſet, iterum ſeſe diſpoſuit propheta ad certandum contra alios hoſtes. Hoc in loco, more ſuo, non pauca Rabini ſcripſere, quæ tamen cum ſit merum eorum commentum, ſuis narrata relinquimus.

Victori ſuper Suſan-rduth. Victori pro liliis, pro roſa, interpretantur omnes hebræi, teſte R. Salomon. Cum ipſis Aquila, & D. Hier. conveniunt. Symm. vertit „ Epicinium pro floribus humilis, & immaculati David “.

Cum ſurrrndit Meſopotamiam Syriæ. Hier. „ quando pugnavit adverſus Syriam Meſopotamiæ “: & tamen Trevetus S. Doctori præſentem noſtram lectionem tribuit. De hac ſuccenſione per flammas nullibi in ſacra hiſtoria mentio

Digitized by Google

ſit. D. P. notat, per ſuccenſionem, vaſtationem intelligi debere, verbumque hebraicum cum litera ſervili, & affixo בהצותו behattſoto, valet ac, *cum deſolaſſet.*

Meſopotamia, quam hebræi *Aram Naharaim* appellant, quia inter Euphratem, & Tigrim poſita eſt, ſemper clariſſimorum virorum habitatio fuit. Ibi Aram Syrorum Pater vitam egit: ibi Heber, Thare, & Abraham morati ſunt. Olim Babylon ejus finibus claudebatur. Interdum Meſopotamia Syriæ vocatur, cum Syri, & Aramæi illam occuparunt: etiam Syria Damaſci, ſed tunc comprehendi poteſt, eandem eſſe, ac ſuperiorem, quia idem rex erat utriuſque, & caput Syriæ Damaſcus: quæ quatenus habet etiam duo flumina, poſſet utcumque dici Meſopotamia; quod nomen tamen pro hac non eſt in uſu. Aliquoties Pedan Aram, nempe planities Aram.

Aram ſola vult Genebrardus eadem eſſe, ac Saphena, quæ ab Joſepho memoratur. Ita Plinius, Strabo, & Ptolemæus tradunt. Verum non eſt id, quod Varlenius docet, nomen provinciæ, nempe, non urbis eſſe. At in qua ſita ſit parte ignoratur. Nonnulli conſtitutam volunt ad oram ſeptemtrionalem Cocle-Syriæ circa Libanum, & Antilibanum.

Vallis Salinarum juxta quod in S. Bibliis reperitur 2. Reg. 8. 13. videtur in Idumæa poſitam eſſe, ad meridiem maris mortui. Dicitur ſalinarum, quoniam ibi aqua reperiebatur ſalſa, ſalque conficiebatur.

Edom, ſive Idumæa ſub Paleſtina comprehenditur a Plinio, generali quadam appellatione. Sicut etiam Judæa, Samaria, Galilæa. A Marco diſtinguitur ab Judæa, Galilæa, ex regione trans Jordanem, quam Peræam vocat Plinius. Occupabant Idumæi ad occidentem extrema Judææ proximaque Caſiomonti, nec non Arabiæ fines: & cum Eſau a monte Seir, qui & Edom, quod eſt Eſau (epithetum a *coctione ruffa*, ſicuti Seir, quia *piloſus erat*), in quo habitabat, ejuſque poſteri in campeſtrium maximam partem inter illum, & Jordanem deſcendiſſent nomen toti tractui illi dederunt, ut Idumæa diceretur. Confundunt aliquando ſcriptores profani cum Judæis Idumæos, forte quod ſub dictione Judæorum Idumæi redacti fuerint ſub Davide, & Salomone, rurſumque poſt excuſſum jugum ſub Hircano, cum alioquin inimiciſſimi eſſent, ut ex Amos habetur, propter odium perpetuum Eſau contra Jacob, ita ut quod Rebecca futurum crediderat „ non requieſceret furor ejus, nec indignatio ceſſaret, nec obliviſce-„ retur eorum, quæ fecerat ei Jacob " tametſi e contrario hebræis Deus præcepiſſet „ non abominari Idumæum, quia frater eſſet ipſorum ". Perperam Strabo, Idumæos origine Nabathæos facit, & ſeditione pulſos patria. Peſſime vero Aben Eſra, rabinique alii vocant Romam, Edom, & Edomæum monachum Romanum Pontificem; & quoties Prophetæ vaticinantur contra Idumæos contra Romanos intelligere, & ex Idumęorum genere Julium Cęſarem, quique Romanum poſt eum tenuerunt imperium, profectos eſſe; refert etiam Hieronymus, hebræos ob ſimilitudinem primæ literæ in nomine דומה dummah quam in ר reſc convertunt, de urbe Roma interpretari, quæ de Idumæa prædicantur.

Deſtruxiſti nos. Hebraicum verbum exprimit „ diſſipaſti, diſpergiſti nos cum „ tædio, & moleſtia ".

Potaſti nos vino compunctionis. יין תרעלה jain targhelah *vinum ſaporiferum* innuit. S. P. A. habet „ vino ſimulationis ". R. Salomon „ vino ſtuporis ". R. David „ veneni mortiferi ". R. Abraham „ vino tremoris ". Aquila, & Symm. „ vino agitationis ".

Vallis tabernaculorum. Trans Jordanem eſt poſita, hebraice Socoth.

Moab olla ſpei meæ. In textu comprehendimus סיר רחצי Sir rachtſi, *olla lotionis meæ.* D. Hier. „ lavacri mei ". Symm. „ olla tranquillitatis meæ ".

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS LX.

ARGUMENTUM.

Ab exilio regreſſus David ſub Abſalone, perpetuitatem regni ſui optat.

TITULUS.

Victori ſuper neghinoth ipſius Davidis. Heb.
In finem in hymnis Ipſi David. LXX.

℣. *6.* Quoniam tu deus meus. τὸ meus neque in hebræo, neque in LXX. legitur.

℣. *9.* In sæculum sæculi. Tam in hebræo, quam in græco τὸ ſæculi deficit: apud hebræos ſolummodo eſt לעד leghad in æternum.

ANNOTATIONES.

Jam ſuperius nonnulla loquuti ſumus de hebraico verbo neghinoth, ſolum hic repetere placet, quæ doctiſſimus Lorinas docet, nempe nomen illud ad organum cantata carmina indigitare, ſive organum, ſive cithara, ſive aliud. Superiora relege.

Simplicem S. Hil. vocat pſalmum, & D. Pater brevem. David longius exulans, propter vel Saulis, vel Abſalonis perſecutionem, divinam implorat opem. Convenit etiam hic pſalmus Eccleſiæ per totum mundum propagatæ.

Dum anxiaretur cor meum. Verbum עטף atoſ ita mœrore onuſtum, ac anguſtiis ſignat, ita ut animus deliquium paſſus quodammodo non appareat. D. P. A. habet „ dum angeretur". Hier. „ cum triſte fuerit cor meum".

PSALMUS LXI.

ARGUMENTUM.

Non in incerto divitiarum, neque hominibus, ſed ſoli Deo eſt fidendum.

TITULUS.

Victori ipſi Jeduthun, pſalmus ipſius David. Heb.
In finem pro Idithun, pſalmus ipſi David. LXX.

℣. *9.* Adjutor noster in æternum. τὸ in æternum non extat neque in hebræo, neque in græco. Forſan translatores ſic vocem Selah explicarunt.

ANNOTATIONES.

Repetenda hic ſunt, quę in pſalmo 38. de Idithun diſſeruimus. Cantor potius exiſtimandus eſt, quam muſicale inſtrumentum, aut cantilenæ modulatio.

Symm. titulum reddidit „ triumphalis per Idithun oda in David “.

Nonne ſubjecta erit Deo anima mea? Interrogativum modum hebræus reticet, ac diverſimode ſe habet, אך אל-אלהים דומיה נפשי ah al elhim dumiah naphſci. Tantum Domino meo ſilet anima mea: in quo elegans, at ſuavis emphaſis comprehenditur.

Et ipſe Deus meus. Pro Deus meus in textu davidico habetur צורי tſurì petra mea, arx mea, unum ex divinis nominibus.

Interficiatis univerſi. Sic etiam Hil. D. Parens A. ſcriptum reliquit „ interficite „ omnes “ quod hebræo propius eſt. S. Amb. „ interficientes univerſos “. R. Jona vertit „ quouſque exeritis ſinguam in homines? “

Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere. In heb. legitur אך משאתו יעצו להדיח ah miſſceto jaghatſu lehadiah, *ſolummodo a magnitudine illius*, nempe Dei, *conſultant ad repellendum.* LXX. „ veruntamen honorem meum cogi- „ taverunt repellere “: ita D. P. Hil. Theod. Baſil.

Verumtamen vani. אך הבל ah hebel, tamquam vanitas heb. exhibet. Manifeſtius Theodotio „ Verumtamen vapor filii hominum, mendaces filii viri, ut „ momentum ſtateræ “.

P S A L M U S LXII.

A R G U M E N T U M.

Divinæ bonitatis contemplatio excitat David ad prædicendum inimicis ſuis fatale exitium.

T I T U L U S.

Cantus Ipſius David, cum eſſet in deſerto Jehudah. Heb.
Pſalmus ipſi David, dum eſſet in deſerto Idumææ. LXX.

A N N O T A T I O N E S.

ERrorem in LXX. titulo expoſitores vident, cum nullibi legatur, David in perſecutione Saulis in Idumæa extitiſſe. Codices complutenſes, regii, aliique, teſte Lorino, Judæ habent, quod hebræo reſpondent: ibi enim יהודה jehudah legitur: ſic extat apud Aquilam, Symm. Apoll. Euth. & Niceph. Antiquiores latini Idumææ retinent, reliqui vero tamquam ſcriptoris mendum cognoſcunt. In Theodoreto etiam Idumææ legitur. Hanc defendit lectionem Euthymius dicens, quod fieri potuit, ut deſertum illud Idumææ olim eſſet rationis, nunc vero Judææ. Genebrardus putat deſerto ſeli hæc nomina convenire Judææ, Liph Idumææ. Guilelmus Scepreus ait, utroque nomine appellari, quoniam Idumæa Syriæ ampla regio non ſolum complectabatur tribum Juda, ſed totam Judæam: & in Idumææ finibus quidam ſaltus ſunt, deſertaque loca, ut Liph, Pharan, Hareth &c. Alii docent Idumæam per tropum deſumi, nempe per terram hoſtilem, & inimicam. Quod ſi verum eſſet, Joſeph ſcripſiſſet, tribui Juda obveniſſe totam ſuperiorem Idumæam pertinentem uſque Hieroſolymam. Sed quidquid ſit, in regum hiſtoria Idumæam tamquam ſeparatam invenimus regionem.

Sitivit in te. לך leha habet hebræus, hoc eſt, tibi, ita pſ. vetus LXX. D. Hier. S. P. A. & Hil.

Digitized by Google

Quam multipliciter. D. Hier. non per adverbium כמה camah vertit, ſed tamquam verbum „ deſiderat te “. Aquila „ intendit te “. Symm. „ appetit “. Idem S. doctor Hier. in Ez. cap. 16. teſtatur, ſe habuiſſe exemplaria ſic oſtendentia „ quomodo conſumpta eſt caro mea “: itemque cap. 44.

Adhæſit in te. Aliquid plus ex heb. indigitatur דבקה dabekah adglutinata fuit.

PSALMUS LXIII.

ARGUMENTUM.

Contra calumnias auxilium poſtulat: quid eventurum ſit earum auctoribus prædicit.

TITULUS.

Victori cantus ipſius David. Heb.
In finem pſalmus ipſi David. LXX.

ANNOTATIONES.

CUm ſimplex, & communis ſit titulus, ideo nihil eſt addendum, Hilarius, & Caſſiod. notant, ſpiritualem hunc habendum eſſe pſalmum. Græcorum conſuetudo eſt, pſalmos, qui nil novi in titulo habent, ſimile præcedenti continere argumentum.

R. Salamon ſcribit, antiquos Hebræos interpretatos eſſe hunc pſalmum de Daniele, qui e ſemine David fuit.

Orationem meam. קולי kolì in hodiernis impreſſis extat, nempe *vocem meam.* Ita ab Hier. Biblia Compl. Regia, pſ. Gallicanum. In aliquibus emendatis græcis, teſte eruditiſſimo Lorino, *ſupplicationem meam* habetur.

Accedet homo ad cor altum. LXX. „ Accedet homo, & cor altum “. Sic D. Parens. Aquila ut heb. „ intimum viri, & cor profundum “. Symm. „ Ex intimis „ unuſquiſque cordis profundi “. Theodotio „ medius viri, & cor profundum “. In regiis, & complut. bibliis pro *ad* legitur *&*; quod hebræo convenit. Beda translationis noſtræ lectionem ſequi videtur, nec non Bruno, & Dionyſ. Carth. Citant præterea Janſenius, & Brugenſis codices alios quamplures pſalmorum. Beda teſtatur, ſuo tempore noſtram verſionem ſic fuiſſe, ut nunc eſt, aitque, congruam eſſe poſſe. Hebræa dictio eſt וקרב איש ולב עמוק vekereb iſc veleb amok, quam D. Hier. explanavit nectens prioribus, *cogitationibus ſingulorum, & corde profundo.*

PSALMUS LXIV.

ARGUMENTUM.

Ob accepta David beneficia, Deo gratias agit.

TITULUS.

Victori pſalmus ipſius Davidis, canticum. Heb.
In finem pſalmus ipſi David, canticum. LXX.

℣. 10. ITA EST PRÆPARATIO EJUS. Gręcus τὸ EJUS reticet, propterea quod ſenſus obſcurior redditur.

ANNOTATIONES.

DIſſidium in hujus tituli explicatione magnum adeſt. His prætermiſſis, quæ in illius principio leguntur, hebræo reſpondentibus, in eodem nil aliud prorſus legitur in hebræo, quam שיר ſcir, nempe canticum. In græcis emendatis ſolummodo habetur, pſalmus Davidi, canticum. A Theodoreto, ac D. Baſil. mentio nonnullorum Cod. fit, in quibus hæc addita adinvenerunt „ Canticum Jeremię, & Ezechielis, & populi peregrinantis, cum profecturi eſſent " quæ tamen nec in hebræo, nec in LXX. in hexaplo, nec in aliis interpretibus adinveniuntur. Dicendum igitur eſt, aliquem cum neque pſalmi ſententiam attendiſſet, neque hiſtoriam didiciſſet, hanc appoſuiſſe inſcriptionem: verum faciliter probatur Jeremiæ non convenire, quia ſoluta captivitate, ac liber effectus, in patriam eſt reverſus. Secundis pariter haud competit, quia, prout nefas iis erat per legem, & juxta alterius pſalmi verba „ quomodo cantabimus canticum „ Domini in terra alienigenarum " uſque ad reditum reſervabant lætabundum canticum, quod etiam præfefert prima præſentis ſententia *Te docet* &c. Apollinarius Jeremiam, Ezechielem, & populi tranſmigrationem expreſſit in paraphraſi ſic:

Cane mihi Ezechiel, & Jeremia clama,
Quo pacto tunc ſervilem diem ſubjerunt ipſi poſteram,
Ut aliquando templum regis (Dei) *deferentes venerunt,*
Canite honoratam lamentantes regis,
Populuſque celebris ſuorum gratia peccatorum.

Antiquiſſimus ex latinis Hilarius hæc omnia omiſit. In Arnobii textu memoratur. Aggæus, Jeremias, Ezechiel, ſed in comm. Ezechielem prætermittit; ibique notat, hæc apud hebręos non extare.

Te decet hymnus Deus in Syon. Hebræus habet דמיה לך dumiah leha tibi ſilentium laus Deus, nempe tacitam laudem. D. Hier. eſt allata translatio.

Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti. In textu eſt קרב karab, hoc eſt, appropinquare feciſti tuæ habitationi. Hier. „ quem elegeris, & ſuſceperis".

Præparans montes. מכין machin innuit, ſtabili modo firmare, ita Symm. vim verbi expreſſit. Ex quo evenit, ut una ex Templi columnis *jachin* vocaretur, hoc eſt, firmitas.

Mon-

Digitized by Google

Montes in virtute tua. Baſilius, Janſenius, Eugubinus putant, cum terra primo creationis die montes creatos eſſe; alii, uti Conimbricenſes cum Damaſceno, terram aquis initio circumfuſam fuiſſe, ac ita perfecte globoſam, ut ejus exigebat natura; deinde tertia die montes, qui primo conſtiterant in terra effectos, cum Deus aquas ſegregavit in locum unum, & terræ cavernis incluſit. Quod ſi illud pſalmi obiiciatur „ ſuper montes ſtabunt aquæ " reſpondebimus, vel ad tempus diluvii ſpectare, ut D. P. Auguſtino placuit, vel nomine montium deſignari non aliquas terræ eminentias, ſed terræ globum totum, quem tunc aquæ undique circumfluebant. Addimus, per idiotiſmum hebraicum intelligi poſſe, ſicut Gerebrardus obſervat, quotidianos maris fluxus, quibus obrui montes ipſi poſſent, ſi ibi extarent. Ideo dicendum cum Scalig. & Lor. montes primo creationis tempore creatos eſſe propter varias neceſſitates, ac utilitates, cum quadam juſta libratione in pondere reliquarum partium.

Et valles abundabunt frumento. Hebraicus idiotiſmus eſt „ valles operuerunt „ ſe frumento ". Symm. „ operuerunt ſe alimento ".

PSALMUS LXV.

ARGUMENTUM.

A tyrannide liberatus Iſrael jubilat Pſaltes.

TITULUS.

Victori canticum pſalmi. Heb.
In finem canticum pſalmi reſurrectionis. LXX.

℣. 3. Terribilia opera tua Domine. τὸ Domine in hebræo redundat.

℣. 5. Qui. Declarationis gratia appoſitum.

ANNOTATIONES.

VErbum *reſurrectionis* maximam parit difficultatem. S. Hil. illud reticet. Baſ. & Theodoretus referunt, in textu hebræo non extare, neque in editione aliorum interpretum, nec in hexaplo, unde ſi apud LXX. adinvenitur, appoſitum ab aliquo eſſe Lorinus ſentit. Leo Caſtro exiſtimat ab Judæis abraſum eſſe, quod præter proprios præſentis pſalmi enarratores, agnoſcat etiam ex latinis Ambroſius, ne adeo expreſſa eſſet de reſurrectione Chriſti mentio, quemadmodum feciſſe, ait, in aliorum titulis, qui de paſſione ſunt ejuſdem. Apellatur a D. Amb. *pſalmus reſurrectionis*, quatenus exprimat Chriſtum ſurrecturum eſſe. Non ſolum Eutymius, & Nicephorus ex græcis abſolute nomen illud recipiunt, ſed etiam Apollinarius in paraph.

Si quis excitatorum mortuorum conſideret vitam,
Appellatio, quo pacto regis mandata ſequitur
Non valde mirabitur.

Tamen univerſalem intelligit corporum reſurrectionem, quæ fiet vocatione Dei ſive Archangeli juſſa Dei explentis. A græcis nomen reſurrectionis ſumitur pro

trans-

Digitized by Google

tranſmutatione, ſeu reditura captivitate. Quo ad Leonem Caſtrum attinet, ſevere hoc in loco ſe habuit, nam non hoc tantum, ſed etiam alia clariora teſtimonia debuiſſent judæi auferre, quod non præſtarunt, ſi contra corporum reſurrectionem perperam ſenſiſſent. R. Salomon putat, gratiarum actionem denotare, pro libertate accepta.

Qui exaſperant. Amaricantes, incredulos videtur vocem הסוררים haſorerim demonſtrare: ita etiam D. P. Hil. „ qui in iram provocant“. Theodotio „ declinantes “. Aquila „ deſciſcentes “. Symm. „ qui increduli ſunt, non exaltentur in ſemetipſis “. Sic S. Hier. Alii „ deſeriores “ epithetum hebræis conveniens.

Quæ diſtinxerunt labia mea. D. Hier. „ quæ promiſerunt labia mea “: alii „ quæ voverunt “. Ruffinus, præter modo dicta, docet illum, qui præ omnibus aliis elegit Deum ſibi, & ſeipſum offerre ei, quod eſt aliis votis præferendum.

PSALMUS LXVI.

ARGUMENTUM.

Ut omnes per Meſsiam ſalutem conſequantur æternam deprecatur David.

TITULUS.

Victori in neghinoth, pſalmus cantici. Heb.
In finem in hymnis pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 5. Et in æquitate. Non legitur in hebræo.

ANNOTATIONES.

Quidquid ad cæteras hujus tituli partes attinet in præteritis jam loquuti ſumus. In titulo ſexageſimo primo habetur *in himnis* quod Hier. vertit ſuper organum, cum hebraice eſſet *neghinoth* numeri ſing. & cum hic plur. numeri ſit, *in pſalmis* interpretatus eſt. Notandum eſt, hoc in loco pſalmos accipi debere pro pſalterio, vel organis. Apud hebræos nomen David non extat, ex quo Agellius colligit, Davidicum haud eſſe præſentem.

Deus miſereatur noſtri. Apud S. Hil. & pſal. Gallic. eſt *nobis*, in græcis nedum eſt optativi modi, ut Guilelmus Scapræus obſervavit, ſed etiam imperativi: latinum vero verbum ad utrumque indifferens eſt. Hebræis יחננו jechannenu futuri temporis eſt pro imperativo. Janſenius docet, apud Latinos & græcos conſtructionem ſimilem eandem vim habere.

PSAL-

PSALMUS LXVII.

ARGUMENTUM.

Super Hebræorum victorias carmen triumphale cœcinit Propheta.

TITULUS.

Victori Davidis pſalmus cantici. Heb.
In finem ipſi David pſalmus cantici. LXX.

℣. 5. TURBABUNTUR A FACIE EJUS. Deſunt hæc verba in textu, probabiliter exiſtimatur non a ſeptuaginta poſita eſſe, ſed ab aliquo alio interprete.

℣. 19. ETENIM NON CREDENTES INHABITARE DOMINUM. Græcus mendoſus eſt, ſi ſic legat, nam D. Hier. teſtatur tranſtuliſſe „ in habitare „ Dominum ".

℣. 20. BENEDICTUS DOMINUS DIE QUOTIDIE. Græcus labet „ Dominus Deus benedictus, benedictus Dominus die quotidie ". S. Hier. priorem verſiculum magis laudat.

℣. 33. PSALLITE DOMINO. Græcus hoc reticet, in aliquibus Bibliis in margine prænotatum apparet.

ANNOTATIONES.

APud hebræos titulus eſt למנצח לדויד מזמור שיר lamnatſeach ledavid mizmor ſcir, apud Chaldæos לשבחא על יד דוד שבחא ושירתא leſciabbacha al jad David Scebacha, veſcircha, hoc eſt, ad laudandum per manum David hymnus, & canticum. Latinus interpres LXX. ſequutus eſt. Suſpicatur Eugubinus, illos legiſſe נצח natſach, quod importat *æternum*, & *ſempiternum*. Hier. vertit „ adhuc in ſempiternum ". Apparet ſeptuaginta ſenes ad finem ſæculorum impexiſſe, nempe ad Meſsiæ tempora, id quod a Rabinis docetur. Immo R. David Kimki ait, referri ad futurum, quæ eſt veluti deſcriptio ſeculi Meſsiæ; aut per *finem* intellexerunt victoriam ipſam, quam ſibi Meſsias ſui adventus tempore propoſuit. Cæteri translationes rationem habuerunt in ejuſmodi titulis ad muſicam adhiberi ſolitam, & ad cantorum magiſtrum, qui alios in cantando vincit, & illum præcipue, qui victoriale canit carmen.

Diſtinctionem nonnulli ponunt inter canticum, & pſalmum, & volunt, quod canticum ore cantetur, & magis ſoluto metro, communique cantu, & quaſi plano, pſalmus vero ad citharam, lyram, pſalterium, aliaque muſica inſtrumenta cantaretur, metro magis lyrico, & artificioſo. Quare *pſalmus cantici eſſet*, quem ſimul ore, ac inſtrumentis cantores modularentur. Quod tamen a pſalmo denominatur pſalterium, pſalmis modulandis adhibitum ſæpius videtur vero quale fuerit, hic deſcribi nequit. Eugubinus autem contendit, pſalmum, & canticum ſynonyma eſſe, nec in titulis dicendum eſt canticum pſalmi, aut pſalmus cantici, ſed pſalmum, & canticum, ut apud Chaldæos oſtenſum eſt ſupra.

Præſentem Rab. Abraham Aben Eſdra nobilem vocat valde, & glorioſum, nec non gravem. Hujus pſalmi materia circa Filii Dei adventum verſatur, ita Patres græci, atque latini. Judæi vero, eorumque rabini adjudicant memorari Sennacherib victoriam.

Pereant peccatores. Jam alibi obſervavimus verbum רשעים reſciaghim quid demonſtret. Cæteri interpretes *impios* poſuerunt.

Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum. Heb. exprimit „ qui equitas ſuper „ colles " ſic verbum רכב racau innuit: emphatica phraſis! Symm. „ qui vehitur „ in deſerto ", cui etiam D. Hier. convenit.

Unius moris in domo. In textu davidico eſt יחידים jechidim, hoc eſt, unicos, ſolitarios. S. Parens legit „ unius modi ". Symm. „ dat ſolitarios habitare „ domum ". Aquila „ ſedere facit unigenitos in domo ". Quinta editio „ habi- „ tare facit eos, qui ejuſdem vitæ &c. "

Pluviam voluntariam. Hebræis eſt נרבות nedabot, abundans, opportuna, tempeſtiva, deſiderata.

Hæreditatis tuæ. Nemini latet hebraicum populum Dei hæreditatem vocari in ſacris litteris, & viciſſim ipſe, illius ratio clareſcit, quia omnis quidem juſtus adoptione filius Dei ſit, ac proinde heres, ſalva ſimul ratione premii; peculiariter tamen illi qui præcipuo ritu Deum colunt.

Dilecti dilecti. ירדון ידדון iddun dodun, quæ verba D. Hier. interpretatus eſt „ Fœderabuntur fœderabuntur ". Alii fugerunt fugerunt.

Inter medios cleros. בין שפתים benſciapataim Pagn. vertit „ inter tripodes ". Alii „ inter confinia ". Nonnulli „ in mediis periculis ". Hebraicum nomen labia ſignificat, quæ in ore noſtro ſunt, & per translationem ad aliàs res extenditur, puta extremitates, limites, confinia.

Dealbabuntur in Selmon. Mons eſt prope Sichem fertilis, & poſitus eſt in ima illius parte.

Mons coagulatus. S. Hil. habet „ mons conſecratus ". S. P. A. „ montem in- „ caſeatum ", & bene, quia hebræus ſcribit שבן baſan, mons pinguis, ac ferax, ubi caſei abundantia pollet. Ex heb. legi poteſt „ mons excelſus, mons Baſan ", in quo nomine illius fertilitas indigitatur.

Aſcendiſti in altum. Ita heb. LXX. habent „ aſcendens in altum, captiva- „ ſti captivitatem ". D. P. A. ut heb. Juſtinus in dial. cum Tryph. citat locum ſic „ aſcendit in altum, captivavit captivitatem ". Eodem modo a D. Paulo docemur ad Eph. 4.

Ex Baſan convertam. Manifeſtius ex hebræo „ אשיב aſcib " *reducam.*

Prævenerunt Principes. Intelligi poteſt Vulg. τὸ *principes* cantorum, nam סרים Sarim id demonſtrat: ita Pagn. & alii. Eſt enim advertendum, quod per nomen illud inſtrumentorum pulſatores ore dignoſcuntur: *conjuncti pſallentibus*, ii pulſatores manu.

Congregatio taurorum in vaccis populorum. Sic & heb. ſed intelligendum eſt de hominibus robuſtis. Symm. „ conventu prægrandium, cum coſpirationibus „ populorum ".

Venient legati ex Ægypto. In heb. ſunt חשמנים chaſcemanim, hoc eſt *magni principes.*

Ægyptus hebraice Mizraim in Africa regio eſt. Protenditur a Cairo uſque ad Mediterraneum, quem locum Rib chates appellant. In tres dividitur partes in ſuperiorem Ægyptum, alias Thebaidem, in mediam, aut Eptanomen, ſic vocatam propter ſeptem nomina, & habitacula ibi contenta: & in inferiorem, nempe, Deltam. Thebais in media Memphis reperitur, ſic uſque an Alexandrum

Ma-

Digitized by Google

Magnum, deinde Babylon ex poſitione, & neceſſitudine cum Babylone Chaldææ vocata eſt. Centum extabant portæ, ideoque Ecantopila dicta fuit, & ut etiam ab alia diſtingueretur, quæ in Boetia exiſtit. Ingens adeo habitatorum numerus fuit, ut eodem tempore ex unaquaque janua ducenti curſus, & decem mille prælian-tes egrediebantur, ita Strabo.

Eptanominis metropolis Menphis fuit: excellentia intuebantur templa, præſertim illud, quod falſæ divinitati Api dicatum erat. Cairus poſt Memphis ædificationem ſucceſſit ad Nili ripas. Cairi pagum intuentium animos rapit ob ejus peculiarem magnificentiam, atque pulchritudinem. Extra civitatem in excelſo requieſcit monte, ac ſuper arcem ædificatum; ad ipſum aſcendimus media ſchala tam raræ facilitatis, ut commodum paratur iter equis, cameliſque. Puteus Joſeph adhuc inviſitur, miræ profunditatis ex duabus conſtans partitionibus: maximæ altitudinis obeliſci reperiebantur, effodiebantur enim lapides iſti ex ſuperioris Ægypti montibus, & in Memphi perficiebantur: ibi pariter Meridis lacus cæteris ægyptiacis operibus celebrior. Sicuti enim Ægypti fertilitas a majoribus, vel minoribus Nili aquis pendet, ideo Merides, ut Nili irregularitatem tolleret, lacum efformavit, ex cujus aquis irrigabatur terra, quotieſcumque Nili aquæ ad id præſtandum non ſufficerent. Ejus circuitus per quadraginta milliaria protendebatur, profunditas vero trecentorum erat pedum. Plura de hoc lacu vide apud Erodotum, Diodorum, & Plinium.

Inferior demum Ægyptus triangularis extat figuræ, aut figuræ litteræ græcæ *Delta* ex qua nomen acquiſivit. Tamquam inſula accipitur, ac exordium ſumit ubi Nilus in duo dividitur capita; primum eorum Peluſius vocatur, ſecundum vero Canopus, nunc Damiata. Inſuper has continet civitates Abouſig, Aſmounim, Mancaloux, & Fiocum; vocatur etiam Kibt, quæ quidem civitas eſt vetus Coptos ſuperioris Ægypti, ex quo Coptis, ſeu noſtræ ætatis Ægyptiis nomen indidit. De hac regione ſcribitur, loca continere amœniſſima: hic ſmaragdorum orientalium fodinæ adſunt; rubrum hordeum colliguat; ſingularium lignorum abundatia numeratur. Carbaſa, caſſia continentur: inter Nilum, ac mare rubrum non pauci conſpiciuntur montes, a quibus Ægyptus dividitur. Spatium, quod inter mare rubrum, & montes ineſt Arabes incolunt, atque ſummopere fertile exiſtit propter Nili aquas.

PSALMUS LXVIII.

ARGUMENTUM.

Cum ab immaniſſimis hoſtibus David perſecutus eſſet, vehementer orat.

TITULUS.

Victori ſuper Suſannim ipſius Davidis. Heb.
In finem pro iis, qui commutabuntur, ipſi David. LXX.

℣. 2. AD ANIMAM MEAM. *τὸ* meam additum, non extat in heb.

℣. 31. NOMEN DEI. Græcus apponit, Dei mei, quod in cæteris redundat.

ANNOTATIONES.

IN ſuperioribus actum eſt de iis, quæ ad titulum pertinent. In aliquibus latinis Cod. *pſalmus David* obſervatur. S. Hil. in dativo nomen David ponit, *illi David. Pro commutatione* aliqui ex Patribus de ſpiritus renovatione intelligunt, & ex vetere, in novum hominem.

Digitized by Google

Hujus pſalmi materia circa Chriſti paſſionem verſatur, ſic Patres Eccleſiæ. Caſſiodorus notat, hunc quartum canticum eſſe, in quo Domini noſtri Redemptoris paſſio commemoratur.

Demerſus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. ביון מצולה ואין מעמד טבעתי tabahti biven miſulah veem m'ghomad, quæ innuunt, *immerſus ſum in limum profundum, & non eſt ſtabilitus, firmatus:* Clarior ac elegantior ſenſus. Symm. hebræo proprius „ merſus ſum in voraginibus indeterminatis, & non eſt „ ſtatus". LXX. in Vulg. legunt.

Laboravi clamans. Fortis emphaſis in textu יאעתי בקרא jaatti bekori defaticatus ſum in vocando *Rauces factæ ſunt fauces meæ.* S. Hier. exaſperatum eſt guttur meum „ Alii ſiccatum eſt, vel aduſtum eſt ". Influxio pertinet ad fauces, aut ad laringem, & trachæam, ſive aſperam arteriam, ita ut membranam interiorem, tunicamve exaſperet, & vocem reddat raucam.

Shola Salernitana ita diſtinguit

Si fluat ad pectus, dicatur rheuma, catharrus.
Ad fauces branchus, ad nares eſto coryza.

Avicenna docet, vocem rauceſcere, ob nimium clamorem, & attractionem humoroſitatis, ex quo, ad tunicam cooperientem guttur, & epiglottidem, evenit.

Eadem ſchola ſex alias cauſas ponit,

Nux, oleum, frigus, capitiſque, anguillaque, potus,
Ac pomum crudum faciunt hominem fore raucum.

Alii hic aliter, at noſtrum non eſt medicas tradere lectiones.

Confortati ſunt. Magis ex heb. „ roborati ſunt ". S. Hil. ut heb. habet.

Eſtraneus factus ſum. מוזר muzar vere, & proprie *ſpurium illegitimum* ſignificat.

Et aperui in jejunio. Obvius, ac literalis ſenſus hebraicus eſt, *flevi*, ואבכה vaabcheah. Bredembachius aſſerit, ſignare etiam *operire*. LXX. legunt „ incur- „ vavi in jejunio ". Apoll. „ confregi ". Theodoretus „ diſcrucior ".

A puero tuo. כעבדך beghadeha nedum *puer*, ſed & *filius*, & *ſervus* indigitatur. Sæpius in S. Scriptura nomen pueri accipitur pro ſervo.

In eſcam meam fel. Omne veneni genus demonſtratur per verbum רוש roſc, ſed illud præcipue, quod ex aſpidis, & baſiliſci capitibus paratur. In hoc non eſt Euthymio adhærendum, qui putat, fragmenta fellis aridi in aceto emollita eſſe, ut acetum quidem loco vini eſſet, illa fragmenta pro buccella panis. Sybilla etiam eſcæ vocabulo utitur „ in eſcam meam fel, & bibere (vel & in ſi- „ tim) acetum dederunt, hoſpitalitatis autem hujus ſolvent menſam ".

PSALMUS LXIX.

ARGUMENTUM.

Ut impii confundantur, & auxilium obtineant juſti David orat.

TITULUS.

Victori ipſius David ad commemorandum. Heb.
In finem ipſi David in rememoratione, eo quod me ſalvum fecit Dominus. LXX.

Vulgatus cum hebræo in omnibus convenit.

ANNOTATIONES.

NOn in omnibus editionibus laudati tituli verba leguntur. Apud hebræos, græcos, latinos in Bibliis complutenſibus, & regiis, Nicephorum, Baſilium,

Digitized by Google

lium, & Theodoretum nomen *pſalmi* minime extat. Quæ vero ſequuntur, nempe, *eo quod &c.* teſtantur Baſilius, & Theodoretus non extitiſſe in aliquibus Cod. græcis, nec in textu hebraico, nec apud alios interpretes, ſi LXX. excipias.

Ad commemorandum: ad adjuvandam memoriam videtur hunc pſalmum exaratum eſſe, aut eſſe dignum, qui frequentetur propter accepta a Deo beneficia. Nec intereſt, quod in auferendi caſu aliqui legant „ in rememoratione “, ut Hil. & fere cæteri latini. Aliud diſcrimen eſt, quia ex iiſdem latinis multi habent vicem pronominis *eum* pronomen *me*, quod etiam latine, & græce, Biblia complutenſia, & regia. Rab. Eſaiæ ſententia admittenda non eſt, in qua docet, nomen להזכיר lehazchir principium eſſe cujuſdam noti cantici, cujus concentu pſalmus præſens modulate canendus eſt; nam illius nominis ſignificationi apponitur, ſoluſque in ea eſt.

Domine ad adjuvandum me feſtina. Hæc omnia LXX. reticent.

PSALMUS LXX.

ARGUMENTUM.

Contra conjuratos auxilium poſtulat David a Domino, firmamque in ipſo fiduciam demonſtrat.

TITULUS.

Ipſi David filiorum Jonadab, & eorum, qui primi captivi ducti ſunt. LXX.

℣. 8. Ut cantem gloriam tuam. Deficiunt hæc verba in heb.

ANNOTATIONES.

In Bibliis Complutenſibus, & regiis primo loco habetur „ David pſalmus “ deinde „ ſine titulo apud hebræos “. Revera in textu minime reperitur: Theodoretus ſic ſcribit „ Confeſſus eſt, & ipſe, qui hanc inſcriptionem fecit, „ non eam ſe inveniſſe apud hebræum, ſed a ſe poſitam eſſe “. Neque in D. Hier. translatione habetur. Euthymius ſentit, quod cum David hunc pſalmum conſcripſerit, ex perſona filiorum Jonadab, & aliorum, quo primo a Babyloniis in captivitatem ducti ſunt, LXX. præſenti pſalmo hanc inſcriptionem impoſuiſſe. Verus hujus tituli auctor non elucet, qua de re repetendum eſt, quod S. Hier. ſcripſit, nempe LXX. non pauca de ſuo addidiſſe, & abſtuliſſe, ipſis auctoritate compartita a vetuſtate. Inſuper D. P. Auguſtinus aſſerere non dubitat, ſi quid ſit in heb. Cod. & non apud LXX. noluiſſe Spiritum Sanctum per iſtos, ſed per illos prophetas hebræos, nempe, ſcripturarum conditores immediatos dicere: & contra, ſi quid apud LXX., & non in dictis libris, per hos maluiſſe dicere: quidquid apud utroſque invenitur, voluiſſe per utroſque, ſed ita ut illi præcederent prophetando, iſtos ſequerentur prophetiæ illos interpretando.

Advertendum pariter, quod hoc in loco minime Jonadab eſt ſumendus, qui David fratris filius fuit, ideſt, Semmaa, ſed qui patrem habuit Rechab, de quo mentio fit in hiſtoria regem ubi reperitur ſocius fuiſſe Jehu, in exterminandis reliquiis filiorum Achab, & cultoribus Baal.

Ne

Ne proiicias me tempore. Verbum תשליכני taslicheni cum vi, ac impetu deiicere deſignat.

Qui cuſtodiebant animam meam. Licet שמר Sciamar *cuſtodire* importet, tamen hic pro *obſervare* accipitur, inimici officium.

Quoniam non cognovi litteraturam. Hebræus habet „ non cognovi numeros “ id ספרות ſepheroi innuit. Expoſitores interpretantur de beneficiorum numero, quem David proteſtatur ſe ignorare. LXX. „ negociationes “ ita etiam D. P. A. Theodoretus ex Symm „ non enim novi dinumerare “.

PSALMUS LXXI.

ARGUMENTUM.

In Salomonis figura, Chriſti regnum prædicit.

TITULUS.

Ipſi Selomoh. Heb.
In Salomonem. LXX.

℣. 8. Ad terminos orbis terrarum. τὸ orbis deficit in hebræo.

℣. 11. Adorabunt eum omnes reges. Græcus addit terræ.

℣. 18. Benedictus Dominus Deus Israel. LXX. habet „ Benedictus Dominus.Deus Deus Iſrael “.

℣. 19. Et benedictum nomen majestatis in æternum. In aliquibus græcis reperitur additum „ & in ſæculum ſæculi “. Quod nec apud hebræos, nec apud LXX. extat.

ANNOTATIONES.

Apud emendatos Cod. græcos, & latinos ſimpliciter *in Salomonem* legitur: D. Hier. *Salomoni*, ita ex hebræo. In complutenſibus, regiiſque codicibus, habetur additum in Salomonem pſalmus David „ Sic eſt in Eutymio, ac Nicephoro “. Penes Ruffinum vero, Remigium, Arnobium, Gloſſam, & alios „ Pſalmus David in Salomonem “. Qui hoc in titulo nomen Davidis ponunt, procul dubio id præſtant, eo quia ipſum tamquam hujus pſalmi authorem cognoſcunt, reliqui diverſimode ſentiunt & Salomonem exaraſſe ipſum exiſtimant, in cujus probatione S. Hier. ſententiam afferunt: verum illam S. Doctoris opinionem reſpuunt critici nonnulli. Si Apollinari fides eſt adhibenda videtur præſentem pſalmum abſque titulo olim extare.

Illud utique pueris erat inſcriptione carens hebræis.

Catholici firmiter tenent, pſalmi hujuſce materiam circa Chriſtum verſari, nec de ſolo Salomone intelligi poſſe, nam ante ſolem ille minime fuit, neque ante lunam, ſicut univerſaliter ab omnibus mundi partibus tributum illi non obvenit, nec in ipſo omnes terræ tribus benedictæ fuere, ſed ſolummodo in Jeſu Redemptore. Et licet Salomonis nomine pſalmus hic ſit inſignitus, id evenit, ut verbis expoſitorum utar, quatenus ille Chriſti typus extitit, verum de Chriſto Jeſu David intellexit. Unde Rab. Salomonis, & Eſaiæ Tranenſis opinio

eſt

Digitized by Google

eſt reiicienda, ubi docetur, David pro filio ſuo oraſſe. D. Parens Aug. ſcribit, multum errare, qui grandem illam promiſſionem putant in Salomone fuiſſe completam: ille de civitate Dei 17. 8. In hoc enim etiam S. Hier. convenit in Dn. 9. ubi inquit, ex parte, & quaſi in umbra, & imagine veritatis in Salomone quædam promiſſa eſſe, ut in Domino Salvatore perfectius implerentur. Et in Eſa. 66. ait, veri Salomonis laudem in hoc pſalmo contineri.

Permanebit cum ſole. ייראוך עם שמש irauchi him ſcemeſc, ſenſus puritas eſt „ & timebunt te cum ſole ". Ricc. Cenom. putat, verbum illud radicem ſumere ab ירך jerab chaldæo, nempe, *prolongavit*. D. Hier. ex heb. vertit „ & timebunt te, quandiu erit Sol ".

Sicut pluvia in vellus. גז ghez vertitur *ſuper herbam tonſam*, *reſecatam*. Chaldaice „ ſuper herbam corroſam a locuſtis ". Signat etiam verbum illud *germen exciſum*, exiſtentibus tamen radicibus, quæ pluviæ beneficio germinare adhuc quærit. Frequentior acceptio pro *vellere* ſumitur. Velleris proprietates Hugo hiſce verbis declarat

> *Succida veſtis ovis, non ſentit, non ſonat icta,*
> *Hirta, pilo molli, bibulo, tingique parat*
> *Pectunt, nent, texunt quod frigora pellat, & oret.*

Procident Æthiopes. Nempe habitatores deſerti. Æthiopia, ſeu Abyſſina maximum eſt in Africa regnum, de quo ſæpe in ſacris literis mentio fit; animadvertendum tamen eſt, non ſemper eſſe intelligendum de univerſo regno, quotieſcumque Æthiopia dicatur, ſed de illa tantum regione, quæ ad orientale litus Ærithræi jacet, ac in vertice iſtius maris ad Ægyptum. Chus etiam appellatur, quamvis etiam nunc lis inter criticos vigeat, num vere pro illo nomine Æthiopia ſit accipienda. Samuel Bochartus contendit, incolas regionis Chus ſupra Ægyptum, ad rubri maris ſinum intimum, in parte Arabiæ Petrææ, & felicis habitaſſe, illoſque in præſenti Saracenos nuncupari. Potiſſimum dicti authoris argumentum eſt, quod Deus minetur, apud Ezechielem, ſe deſolaturum eſſe Ægyptum a turri Syenes ad terminum Chus, ex quo clariſſime duo Ægypto termina aſſignantur. Verum cum Syenes in Æthiopiæ, & Ægypti finibus poſita ſit, conſequenter regio Chus ad Æthiopiæ partem contingere nequit, cum debeat Syenæ e regione opponi, ac regio quædam eſſe, qua Ægyptus ex altera parte terminetur: unde videtur terra Chus in Arabia eſſe conſtituenda.

Reges Arabum. Præcipua Aſiæ pars eſt Arabia, atque in tres dividitur regiones, in Arabiam Deſertam, Arabiam Petræam, & Arabiam Felicem. Deſerta occidentem reſpicit, & montes Galaad. Arabia Petræa ad meridiem terræ ſanctæ extenditur, ejuſque metropolis Petra vocatur. Habitatores illius ſacræ ſcripturæ interpretes Æthiopes appellant. Arabia Felix inter ſinum Perſicum ad Ortum, Oceanum ad Meridiem, Aſphalticum ad Occaſum, poſita eſt. Divitiis, ac aromatibus abundans apparet, ac viget. Videtur, Reginam Sabam hic imperaſſe.

Controvertitur a qua nam regione Magi venerint, an ex Chaldæa, an ex Perſia, ſeu ex terra Evilath, an ex Arabia, ſeu parte illius Magodia nuncupata, an ex India Orientali, ſive ex Brachmanis, & Gymnoſaphiſtis, an ex Meſopotamia Orientali. Hebraica vocabula *Sceba*, & *Seba* Arabiæ favent. Tum præterea quia vaticinium, quo permoti creduntur Magi, editum eſt in Moab a Balaam, quæ pars eſt Arabiæ: tum quia Madiam & Epha, de quibus Eſaias in ſimili prophetia huic noſtræ, maxime conjuncti Abraham, alter ut filius, alter ut nepos ex Cethura, dimiſſi ſunt ab eo eum muneribus auri, thuris, & myrrhæ, quæ ille a regibus abſtulerat a ſe ſubactis ad Damaſcum, ut Judæi tradunt

Epi-

Digitized by Google

Epiphanio teſte; tum quia ex eodem Abrahamo Regina Saba orta creditur, quæ cum muneribus etiam ad Salomonem venit, dubitans an eſſet is, de quo Balaam vaticinatus fuerat, veruſque Meſsias, quod Hieronymus ſalva fide, collegiſſe Rabinos ait, quod regina veniſſe ſcribitur ad Salomonem. Tum quia ſic bene percipitur, quo pacto Chriſtus, adhuc infans abſtulerit eadem illa ſpolia Damaſci: tum quia munerum talium non aliæ ita feraces regiones, ut Arabia præſertim quam vocant Felicem: tum quia ita ſentiunt Juſtinus Cyprianus, Epiphanius Cyrillus, Alex. Tertullianus, & Baronius.

Quæ quidem omnia confirmantur, quia Sabæos Plinius Arabes appellat, & regionem Saba S. Hier. docet eſſe Arabiam, ac de ea hoc loco ſermonem eſſe. Iſidorus aſſerit, Magos de gente Perſarum, & de Arabia, & de Saba veniſſe. Arabia Felix dici poteſt nomine Perſiæ, quia ſolo ſinu Perſico ſeparatur ab ea, quo fortaſſis modo poſſent intelligi, qui de Perſide veniſſe Magos dixerunt.

Pauperem a potente. אביון משוע ebion meſciuuh, linguæ ſanctæ periti „ pauperem clamantem " verterunt, ſic etiam Maſarethæ.

Et erit firmamentum. Peculiaris conſpicitur in hebraico textu varietas, eſt enim יהי פסת-בר בארץ jehi piſſat bar baarets, & erit pugillus frumenti in terra. Obſervant nonnulli, frumenti firmamentum hominis eſſe, quo ſubſtentatur, & ſic variantes concordant. Apud D. Hier. legitur „ erit memorabile triticum " quam explicationem etiam recentiores Judæi ampleċtuntur, ob id docent, in adventu Meſsiæ, tritici altitudinem Libani cedris æquiparari. Miſeri! Rab. Emmanuel vero verba ſuperius dicto explicat „ manus plena frumento ". Et Rab. Jonathan „ erit placenta tritici in vertice ſacerdotum ".

Deſecerunt laudes David filii Jeſſe. Sic apud hebræos inſcribitur.

LIBER TERTIUS PSALMORUM JUXTA HEBRÆOS.

PSALMUS LXXII.

ARGUMENTUM.

De fœlicitate impiorum, juſtorumque miſeria diſſeritur; rationem propheta quærit.

TITULUS.

Pſalmus ipſius Aſaph. Heb.
Deſecerunt hymni David filii Jeſſe, pſalmus ipſi Aſaph. LXX.

℣. 7. PRODIIT QUASI. τὸ quaſi græcus reticet, ſicuti & heb.

℣. 11. QUOMODO SCIT DEUS. Non extat DEUS apud græcos LXX. ac cæteri interpretes illud legunt ex heb.

ANNOTATIONES.

STatuere oportet, quod verba *Deſecerunt &c.* quæ ab Eccleſiaſtico non ponuntur in officio, nec recitantur a Parafraſtis, partem pſalmi exprimunt; nec ad titulum præſentis pſalmi minime pertinent. Sed ad præcedentem hymnum. Id defendunt Ruffinus S. P. Auguſtinus, Caſſiod. Beda & alii. Ex græcis Euthymius, Nicephorus, Apollinarius, qui exponit.

De-

Davidis carminum quidem ceſſavit divina mens
Filii Jeſu, ex imbecillitate.
Aſaphus vero ſurrexit, & reſonuit Spiritu divino,
Septimæ decadis ſecundum hymnum mittens.

D. Hier. ad Marcellam ſcribens teſtatur, verba illa in fine præteriti ponenda eſſe.

Sciendum pariter eſt, minime conſequi ex modo dictis nullos alios extare pſalmos a Davide exaratos, ſed ſenſus eſt, quod ſequentes eo ordine diſpoſiti non ſint, quo pro vario tempore compoſuit: aut quia huc reliqui tendunt pſalmi, ideſt, ad regnum Chriſti.

Ideo tenuit eos ſuperbia. Textus majori ſe exprimit vi ſic, לכן ענקתמו גאוה lachen hanaktmo ghaavah, *ideo cinxit, ut torques, eos ſuperbia.* LXX. legunt „ obtinuit eos “. Apud Theodoretum habetur „ obtinuit eos ſuperbia in finem “.

Circumdederunt iniquitatem ſibi. Plus ex hebræo, חמס chamas eſt violentia, rapina, unde ſenſus ſit, induerunt ſe habitu violentiæ.

Et dies pleni. מים maim nonnulli legunt, ſecundum quos explicatio eſt hujuſmodi „ & aqua pleni calicis “. D. Hier. „ & quis plenus invenietur in eis? “ LXX. legerunt ימי jemo dies alios. Richardus Cenomanus docte annotavit Hier. ומי umi & *quis* pro ומי ume & *aquæ* legiſſe.

Lavi inter innocentes. In innocentia, in munditia hebræus demonſtrat, quæ quidem explanatio eſt obvia, ac purior.

Propter dolos poſuiſti eis. Emphatico modo D. Hier. ex heb. vertit „ veruntamen in lubrico poſuiſti eos “. *Dejeciſti eos dum allevarentur.* Idem Sanctus doctor „ dejeciſti eos in interitum “: למשואות lemaſcivet, quod verbum Maſorethæ *deſolationes* interpretantur, ita etiam Pagn. & alii: unde hujus verſiculi lectio eſt „ in locis lubricis eos poſuiſti, & projeciſti eos in deſolationes “.

Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi. ואני בער ולא ארע veanò baghar, velò adahh, *& ego inſipiens eram, & non cognovi*, ita hebraica verba exhibeat. Simm. „ eram autem inſipiens, & neſciens “. Cui D. Hier. convenit.

In portis filiæ Sion. Non reperiuntur hæc in textu hebraico, nec in Vaticano optimo cod. teſte Agellio. D. P. Aug. ac vetus pſalm. habent „ in atriis “.

PSALMUS LXXIII.

ARGUMENTUM.

Juxta Lyranum, & Cajetanum hic templi ruinam propheta prædicit.

TITULUS.

Intelligentia ipſius Aſaph. Heb.
Intellectus ipſi Aſaph. LXX.

℣. 1. Ut quid Deus repuliſti in finem. Aliqui ex græcis ordine in verſo verba illa legunt „ ut quid repuliſti Deus “.

℣. 5. Et non cognoverunt. In hebræo τὸ Et non extat.

ANNOTATIONES.

Apud S. Hier. pro *intelligentia*, *eruditio* legitur.

Gloriati ſunt, qui oderunt te. Hebræus majorem emphaſim continet צורריך כשאגו ſciagu tiorerecha fremuerunt, rugierunt hoſtes tui.

Et non cognoverunt. Hic negationis particula apud hebræos haud reperitur. in D. Hier. eſt „ manifeſto “. LXX. ut vulg. habent.

Exciderunt januas ejus. Nedum *januas* verbum פתוחיה pittuchiah demonſtrat, verum etiam *cælaturas.*

Tu ſiccaſti fluvios Ethan. Aquila verbum Ethan tranſtulit *fortes.* Sic etiam D. Hier. Symm. „ antiquos “. Intima illius nominis acceptio multiplex eſt, rapidum, violentum. Tam vulgato, quam cæteris expoſitoribus hebraicum retinere ſonum *Ethan* placuit.

Obſervandum eſt, quod Ethan alicujus loci nomen minime ſignat, quia tunc non per *num* ſed per *mem* inſcriberetur; deinde in eo loco, ubi ſic appellatur, nulla apparet mentio de fluminis iſtius ſiccitate; neque citati translatores nomen fortium, ingentium, uti vidimus, tribuiſſent. Sic eſt intelligendum, quod Deus in trantitu ſui electi populi Jordanem exſiccavit. In qua conveniunt opinione Euthymius, Baſilius, & Theodoretus, Cajetanus. Ipſe Euthymius Iſidori Peluſiotæ ſententiam affert de Ethan, qui aſſerit loci nomen eſſe, non procul ab Jeruſalem, qui fluminibus olim irriguus poſt everſionem Jeruſalem a Romanis factam, ob Dei iram, omnino ſit exſiccatus. Verum, quod de Iſidoro Euthymius affert de Jeruſalem everſione per Romanos facta, apud ipſum Iſidorum minime legitur. Solummodo Joſephi deſcriptionem loci Iſidorus recitat. Tamen ab omnibus tuetur, non loci alicujus nomen Ethan eſſe, ſed intelligi debere de Jordanis ſiccitate volunt.

Tu feciſti omnes terminos terræ. אתה הצבת atta hitſabtta tu formaſti, ſtatuiſti, ut Hier. vertit. Aquila, & Theodotio ſcripſerunt „ tu ſtabiliſti “. Symm. „ ſtatuiſti “ ex quo Hier. ſuam traxit explicationem. Arabes pro *terminos climata* legunt, teſte Rab. Kimki, atque de ſtellarum finibus intelligunt, partibusque ſignorum, quæ ſtellis ſingulis dividuntur.

Irritavit nomen tuum. Clarius, ac convenientius ex hebræo, blaſphemavit, ſic נאצו niatſu importat.

Ne avertatur humilis factus confuſus. Nomen דך dah afflictum, miſerum, tenuem ſonat. Unde hujus ſententiæ ſenſus juxta hebræum apparet, *ne revertatur miſer pudore affectus.* S. P. Aug. habet „ ne revertatur humilis confuſus “.

PSAL-

PSALMUS LXXIV.

ARGUMENTUM.

Juſtorum conſolatio, iniquorumque confuſio in die judicii extrema a propheta demonſtratur.

TITULUS.

Victori, ne diſperdas, pſalmus ipſi Aſaph, & canticum. Heb.
In finem, ne corrumpas, pſalmus cantici ipſi Aſaph. LXX.

℣. 2. NARRABIMUS MIRABILIA TUA. A græcis legitur „ narrabo omnia mirabilia tua“.

℣. 7. NEQUE. Hebræus caret.

℣. 9. ET INCLINAVIT EX HOC IN HOC. τὸ IN HOC translatores addiderunt.

℣. 11. ET. Non extat in hebræo.

ANNOTATIONES.

VOces *ne diſperdas*, & *ne corrumpas* aliquam includunt difficultatem. In libris latinis reperitur „ ne corrumpas“. D. Hier. ad Suniam in an. in pſ. 77. melius putat vertit „ ne perdas“ in ejus vero translatione habetur „ ut non „ diſperdas, pſalmus Aſaph cantici“. Symm. ſcripſit „ triumphalis de incorru„ ptibilitate, pſalmus ipſi Aſaph“. Hanc incorruptibilitatem græci explanant, ne quis vitiis corrumpatur, vel piæ corrumpantur cogitationes, ac integræ conſerventur. Euſebius de futura incorruptione in fine ſæculorum exponit. Rab. Kimki de hebræorum captivitate intelligir in hoc pſalmo loqui, atque de futura Chriſtianorum ultione, circa quod celeberrime Valentia illum confutat.

Cum accepero tempus. Stabilitum tempus poteſt explicari hebraicum verbum מועד moed. Symm. dixit „ cum accepero Synagogam“ quod dictio illa etiam ſignificat. Aquila vero „ cum accepero mandata, præcepta“.

Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. In hebræo eſt „ וחמר jain chamar, nempe, vinum rubeſcens, & calix plenus eſt muſto. D. Hier. habet „ vino merato, ſeu meraco uſque ad plenum mixtus“. Alii „ vinum turbi„ dum, turbolentum, craſſum. Nonnulla pſalteria, S. P. Auguſtinus, & Caſ„ ſiodorus“ plenus eſt mixto.

PSALMUS LXXV.

ARGUMENTUM.

Obtenta victoria de Aſſyriis Ezechiæ tempore, Deo gratias agit propheta.

TITULUS.

Victori in neghinoth, pſalmus ipſi Aſaph, & canticum. Heb.
In finem in hymnis, pſalmus ipſi Aſaph, canticum ad Aſſyrium. LXX.

℣. 6. OMNES VIRI DIVITIARUM IN MANIBUS SUIS. Hebræus habet „ non invenerunt omnes viri roboris manus ſuas “.

℣. 13. TERRIBILI, ET EI, QUI AUFERT SPIRITUM. Græcus Ei reticet, ita fatetur D. Hier. additum, ut latinus reſonet ſermo.

ANNOTATIONES.

AD *Aſſyrium, aut ad Aſſyrios*, ut in latinis impreſſis legitur, univerſaliter non invenitur nec apud Hebræos, nec Chaldæos. Theodoretus ſcribit „ additionem illam non inveni in hexaplo, ſed in quibuſdam exemplaribus “ ſimiliter Schol. ait „ non eſt in tetraſelido neque apud LXX., neque apud cæteros, neque „ in libro Euſebii Pamphili, neque in octaſelido “.

Hujus pſalmi materia circa Aſſyriorum interitum verſatur, in quo Græci, Latini, ac Hebræi conveniunt. Hanc Sennacherib deſtructionem Apollinarius ſic deſcripſit:

Regem Aſſyriorum ridens Aſaphus prudens,
Reſonuit ſeptimæ decadis, etiam quintum carmen.

Eſt in pace locus ejus. Pagn. nomen בשלם beſcialem ex Hier. in proprio hebraico ſono reliquit, nempe *in Scialem.* Videtur etiam Rabinorum ſententiam adoptaſſe, in qua toti ſunt in demonſtrando, nomen illud Jeruſalem ſignificare.

A montibus æternis. Diverſimode ſe exprimit heb. eſt enim טרף tareph, quod *prædam* demonſtrat. S. Hier. vertit „ a montibus captivitatis “. Symm. „ a „ montibus venationis “. Theodotio „ a montibus fructuoſis “. Aquila ſicut Hier. Quare ſic montes iſti vocentur, expoſitores perlege. Forſan etiam hæc varietas orta eſt ex mutatione literæ ף in ם.

Dormitaverunt qui aſcenderunt equos. Hebraica phraſis plus innuit, ורכב סוס נרדם niſdam vechereb ſus, nedum dormitavit, ſed conſopitus eſt currus, & equus. Apollinarius vocat *profundum ſomnum.*

Quoniam cogitatio hominis. חמת chamat proprie eſt ira, furor, ardor maximus. Hanc nominis interpretationem Rab. Salomon vertit „ quoniam ira „ hominis &c. “ Hier. „ quia mœror hominis “. Commentatores conſulere oportet.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS LXXVI.

ARGUMENTUM.

A cogitationibus iniquis ut liberetur, orat propheta.

TITULUS.

Victori pro Jeduthun, ipſi Aſaph pſalmus. Heb.
In finem pro Idithum, pſalmus ipſi Aſaph. LXX.

℣. 4. Et. Tam in hebræo, quam græco deſideratur.
℣. 11. Et. In hebræo ſolummodo non apparet.
℣. 16. Redemisti in brachio tuo. τὸ tuo hebr. reticet.

ANNOTATIONES.

RAb. Salom. iſtius pſalmi expoſitio eſt, quod cum Aſaph propheta eſſet, Judæorum ſervitutem per Romanos factam in Spiritu vidiſſet, ideo hunc exaravit canticum, ut liberarentur Hebræi a futura captivitate. Miſerrimus Hebræorum doctor adhuc in hac expectatione jacet. Potius dicendum, Babylonicum flagellum ob Judæorum peccata prævidiſſe ac per orationes, corporiſque macerationes terminandum fore.

Cogitavi dies antiquos. Clarius, ut nonnulli exiſtimant, ex verbo חשבתי chaſciabti, *Supputavi.* Paraph. vertit „ numeravi dies bonos “.

Scopebam ſpiritum meum. חפש chapas *ſcrutavi* valet, & ſic ſententia majori donatur claritate, & *ſcrutabatur ſpiritus meus.* Apoll. „ inveſtigabat “. D. Hier. „ rimabatur “. Symm. „ perſcrutabar “. Theodotio „ ſcrutatus eſt “. Manifeſtius Aquila „ quaſi effodit, ſcalpſit “.

Et dixi nunc cœpi. Non parva reperitur varietas in hebræo, חללתי hallotti, nempe, *mors mea.* Ex qua explicatione maniſeſtiſſime apparet, nomen illud tranſlatores a חלה halah deduxiſſe, id eſt, *ægrotare*; qui vero juxta Vulg. legunt, a החל hachal *incœpit* illius radicem voluat. Aquila hebræo propius „ imbecilli„ tas mihi hæc “. Theodotio „ dolores ſunt “.

Multitudo ſonitus aquarum. Pulchrius ex hebræo זרמו מים zoremu maim, cum impetu inundaverunt. Hier. „ excuſſerant aquas nubila “. Apollinarius.

Horrendus fragor concitabatur per æthereas nubes.

PSAL-

PSALMUS LXXVII.

ARGUMENTUM.

Quid Iſraelitico populo acciderit in peregrinatione deſerti propheta repetit.

TITULUS.

Intelligentia ipſi Aſaph. Heb.
Intellectus ipſi Aſaph. LXX.

℣. *6.* NARRABUNT FILIIS SUIS. Græcus particulam ET addit.

℣. 38. ET NON DISPERDET EOS. τὸ EOS neque in hebræo, neque in græco extat, illud D. Hier. addidit.

℣. 55. SORTE DIVISIT TERRAM. Hebræus TERRAM reticet.

℣. 57. NON SERVAVERUNT PACTUM. Caret apud heb. τὸ pactum omnes interpretes tamen retinent: primi REBELLAVERUNT legunt.

ANNOTATIONES.

HIeronymus pſa'mum hunc myſticum, ſacramentiſque plurimis involutum vocat, quamcumque aſpexeris literam, floruiſſe: non modo dies, ſed & totum menſem ad intelligentiam iſtius pſalmi, non poſſe ſufficere. In ſingulis verbis profunditas elucet. Athanaſius Marcellino probat, quod in Exodo, Numeris, Deuteronomio continetur, in iſto perbelle decantatur, totuſque in narratione occupatur. Quidam græcus poeta ſic in authoris laudem cecinit, ut apud Jacobum Furnium habetur

Orpheu ſileto, abiicito Mercuri lyram:
Et tu tripus obliterare Delphice.
Nam David ad nos ſpiritus pulſans lyram,
Myſteriorum operta patefacit Dei,
Miraculorum ſignat veterum copiam:
Creata ſcit Creantis in laudem ſui,
Præſervat omnes, initians myſteriis.
Labare non ſinit, & jam lapſos erigit;
Inter futura aperit judicium Judicis,
Animæ reatum eluere ſordentis docet.

Loquar propoſitiones. Hebraicum חידות hidot *ænigmata* ſignat, ſententias etiam myſteriis involutas. Hier. „ ænigmata antiqua". Tertullianus „ loquar „ problemata".

Filii Ephraim intendentes. Nempe *armati* ex hebræo נושק noſcek. In pſalm. Illyrico legitur „ intendentes arcum ſagittantes ſagittas". Apud Nonnum reperitur *Ephrem* pro *Ephraim* olim, ſic legebant. Putant aliqui; Ephraim eandem civitatem eſſe ac Ephron, vel Ephratam. Favet opinioni de Ephron, quod cum exercitum Jeroboam, qui erat de tribu Beniamin, Abia cecidiſſet, ipſumque Jeroboam fugientem perſequens, cepit inter alias civitates Ephron, & filios ejus, hoc eſt minores urbes illi ſubjectos.

In

Digitized by Google

In campo Tanaos. Pro quo S. Hier. vertit „ regionem “. Tanis hebraice Tſoam Ægypti eſt civitas in Delta poſita. Hæc Septennio Hebron recentior eſt, teſte ipſo Mose, num. 13. 23. Ibi a Sanctiſſimo Iſraelis Duce prodigia patrata ſunt. Illius principes urbis ſe ſe extollebant propter propriam prudentiam, ſapientiamque, contra quos Iſaias ſurrexit, malitioſam eorum politiam redarguendo. Prophetæ ejuſdem tempore, Tanis inferioris Ægypti metropolis erat.

Nonnulli volunt nomen eſſe Oſtii Niliaci, ab Acle eodem modo nominata quod apud Stephanum appellatur *Sarticum.* Nam ex Soham evaſit corrupte *Tan* & *Tanis*, & cognomen Oſtii Tanitici apud eundem Stephanum, Plinium, & Strabonem. Alii credunt per Tanaim totam Ægyptum hic intelligi, appellarique campum ob provinciæ planitiem, & fertilitatem.

Male loquuti ſunt de Deo. Non ſic apud heb. וידברו בלהים vaddaberu belohim *loquuti ſunt in Deum*, *male* relinquendo: tamen ex vi ſermonis ſubintelligitur.

Panem Angelorum. אבירים abirim proprie *fores* indicat, ſic panem robuſtorum: idiotiſmus elegans.

Sicut pulverem carnes. Ut multitudinem carnium propheta demonſtret, verbo עפר aphar uſus eſt, nam illud innumeras minutiſſimi pulveris particulas importat.

Cœnomyam. D. Hier. ad Suniam ſcribens in fine epiſt. animadvertit, hebraicum nomen ערב arob vertendum eſſe pro omni muſcarum genere. Aquila pariter interpretatus eſt „ omnimodam muſcam “. Arias Montanus exprimit apem, veſpam, muſcas inſectaque alia. Caſſiod. „ muſcam caninam “.

Moros eorum in pruina. Videtur nomen חנמל chanamol grandinem maximæ molis denotare. D. Hier. „ in frigore “ *moros* pro quibus idem doctor vertit „ ſycomoros “ & ita Theodoretus teſtatur alios interpretes tranſtuliſſe.

Sycomorus, aut moroficus eſt ficus agreſtis in Palæſtina campeſtribus gaudens teſte Hier. quæ niſi vellicetur, amariſſimas cariculas faciat, quæ oleo infuſo dentur familiæ. Primum, ficus ægyptiacas præſtantiſſimas appellat ac de his meminiſſe hoc loco Pſaltem, apud quem ſolum reperitur. Plinius vocat *morum* ſapientiſſimam arborem, ſcilicet, quod non niſi tranſacto frigore germinet, ob cujus rei oppoſitam cauſſam fatua dici poteſt *amygdala* ex hebræo nomine שקר ſceked, a vigilantia. Ægyptia ficus tam admodum procera eſt arbor, ut uno anno ſepties fructum ferat, ſicut teſtatur Ruellius de nat. ſtirp. c. 79. immo ſi unum decerpſeris, alter continuo pullulet. Provenit maxime in aggeribus Nili, quos colligat radicibus, & adverſus inundationes munit, ita ut, ſcribir Ruellius, graviter in eos animadverteretur, qui in Nili ripis exciderent Sycomorum. Qua de cauſa hic merito facta eſt mentio hujus arboris tam celebris apud Ægyptios, ex qua ſimul cum vinea judicium fieri vates voluit de cæteris plantis, de quarum vaſtatione liber Exodi meminit, Philo etiam, & Joſephus.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS LXXVIII.

ARGUMENTUM.

Civitatis, templi, populique ruinam propheta deflet.

TITULUS.

Pſalmus ipſi Aſaph. Heb.
Pſalmus ipſi Aſaph. LXX.

℣. 4. IN CIRCUITU NOSTRO SUNT. τὸ ſunt neque hebraicus textus, neque græcus legit.

℣. 9. ET PROPTER GLORIAM. Neque Hebræi, neque Græci ET habent.

ANNOTATIONES.

IN *pomorum cuſtodiam.* Humilis, nempe, domus, ubi poma ſervantur Hier. ad Suniam ſcribens, teſtatur, ſe non poſſe aliter verti. Aquila, ut alii verbum עיים hhiim *in acervum lapidum* interpretati ſunt. Caſſiodorus hoc vocat *augurium*, quod ſibi horti cuſtos ad repellendam ſolis injuriam frondibus, foliiſque communit, ſed ut pomorum tempus abſceſſerit, tamquam inutile reliquit.

Gemitus compeditorum. Singultum etiam exprimit vox אנקה ankah. Hier. „ Suſpirium vinctorum ". Nomen illud proprie convenit clamori ſauciorum animam efflantium.

PSALMUS LXXIX.

ARGUMENTUM.

Sinagogæ Domini vaſtationem deplorat propheta.

TITULUS.

Victori ſuper Soſannim eduth ipſius Aſaph, pſalmus. Heb.
In finem pro iis qui immutabuntur, teſtimonium ipſi Aſaph pro Aſſyric. LXX.

℣. 12. USQUE. Hebræus reticet.

℣. 15. RESPICE. Græcus addit ET reſpice.

℣. 16. SUPER FILIUM HOMINIS. τὸ hominis in latino redundat.

ANNOTATIONES.

DE Soſannim jam ſatis dictum eſt alibi. Eduth idem eſt, ac *teſtimonium*, ibi enim hebraicum retinetur nomen.

Li-

Digitized by Google

Licet nunc *pro Aſſyrio* legatur, ſicuti etiam apud Euthymium, & Nicephorum videre eſt, tamen antiquiores Græci non habent, Agellio teſte. De Aſſyriorum populo nulla fit mentio in teſtu hebraico. Theodoretus aſſerit, pſalmum hunc formam orationis habere, qua Deum placare oporteat, ſimulque prædici ſalutem mortalibus adventuram per Chriſtum.

Pro iis, qui immutabuntur. Apollinarius de illis intellexit, qui cantando ſibi invicem reſpondeant, quod tamen commune videtur pſalmis omnibus indefinite:

Aſaphi prudentis teſtimonium carminum
Operum bonus eſt cantus invicem reſpondentium.

In vulgatis legitur „ Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim, „ Beniamin, & Manaſſe “. In hebræo hæc dividitur ſententia ſic „ Qui ſedes „ ſuper Cherubim reſplende “. Deinde tertius incipit verſiculus „ coram E- „ phraim, Beniamin, & Manaſse ſuſcita ſortitudinem tuam “.

Prophetæ cordis motionem clarius intelligimus ex obvia, ac ſimpliciori textus explicatione dicendo, *O paſtor Iſraelis auſculta.*

Poſuiſti nos in contradictionem. Hebræis eſt תשימנו מרון teſimenu madon, *poſuiſti nos in litem vicinis noſtris.* Symm. „ ad prælium, ad pugnam “. D. Hier. „ in contentionem “.

Paraſti radices ejus. Stabilire feciſti radices ejus, legit hebræus emphatico modo.

Vineam de Ægypto tranſtuliſti. Palatinus refert, Rabinos hic aſseruiſse Meſſiæ fugam, ac reditum ex Ægypto. Inſuper narrat, quod urbis Conſul Antoninus Rabbi Rabbenu Haccados interrogavit de iſtorum verborum ſenſu, reſpondiſse, eſse de Meſsia. Cumque ille obiiceret locum nativitatis Bethleem, quaſi Rabinus in Ægypto naſciturum ſignificare vellet, ſubjeciſse, futurum, ut natum in Bethleem Herodes perſequeretur, & ex Ægypto rediret, quo fugiſset.

PSALMUS LXXX.

ARGUMENTUM.

Propheta omnes ad laudandum Dominum invitat.

TITULUS.

Victori ſuper gittith ipſi Aſaph. Heb.
In finem pro torcularibus, pſalmus ipſi Aſaph. LXX.

℣. 8. Invocasti me. τὸ me a transl. additum.
℣. 15. Forsan. Hebræus reticet.

ANNOTATIONES.

JUxta Rab. Salomon nomen *gittith* in duplici eſt ſignificatione, primo tamquam inſtrumentum muſicum accipitur, & ſic vocatur, quia in civitate Geth adhiberi incœpit: ſecundo pro *torculari*, & ita D. Hier. vertit. Theophilacti opinio verior apparet, cum ipſe de ſcenopegia ſcribit, innuit, nomine iſto ſignificari fructum collectionem, pro quibus Deo gratiæ aguntur.

L In

In pſ. Rom. & Gall. legitur „ pro torcularibus quinta ſabbati “. Verum in cæteris verſionibus minime reperitur hic titulus.

Buccinate in neomenia tuba. Hoc eſt, in novilunio. Duobus tubarum generibus uſi ſunt Hebræi: primi generis, quas in bello geſtabant, ac pugnæ initio canebant: ſecundi vero in ſolemnitatibus, ut in hoc verſiculo apparet, nam primus cujuslibet menſis dies ſolemnis habebatur, ac per tibicinem indicebatur, uti docet Philo, nimirum cornea tuba cubito circiter oblonga, teſte Joſepho, ſupra templi tectum. Ex contextu tamen indicare Propheta videtur Tubarum feſtum menſe Tizri, ſeptembri reſpondente, in memoriam acceptæ legis, quæ quidem feſtivitas præ ceteris celebrior erat, atque anni initium ab ipſis recolebatur, ſicuti conſtat ex præſenti Rabinorum conſenſu, præſertim R. Leonis Modena, qui demonſtrare conatur, tempore autumnali univerſum orbem terrarum conditum fuiſſe. In feſtivitatibus tabernaculorum, & expiationis ſacerdotales tubæ clangebantur, quas Hebræi חצוצרות chatſotſerot, vocant, reliquas שופר ſciophar. D. Hier. pro plenilunio hanc explicat feſtivitatem ait enim „ diem plenæ „ lunæ “. Commentatores perlege.

Vetus pſ. & D. Parens habent „ Tuba canite in initio menſis tubæ “ hoc eſt, ſeptimi menſis. Pſ. Rom „ canite in initio menſis tuba, in die inſignis ſo„ lemnitatis veſtræ “. Ex quibus tubarum feſtum confirmari poteſt.

Non intendit mihi. Hebraicum אבה aliquid plus oſtendit, eſt enim non amavit, non obtemperavit.

In adinventionibus ſuis. D. Hier. ex intima hebraici nominis ſignificatione, pariter & Aquila verterunt „ in pravitates “. Symm. „ in faſtu cordis “.

PSALMUS LXXXI.

ARGUMENTUM.

Judicibus injuſtis exitium minatur Deus.

TITULUS.

Pſalmus ipſius Aſaph. Heb.
Pſalmus ipſi Aſaph. LXX.

℣.*6.* Filii excelsi omnes. Hebraicus addit vos, quod emphaſim auget.

ANNOTATIONES.

Hoc in titulo Euthymius fatetur, ſe in aliquibus codicibus pro *pſalmo intellectum*, legiſſe.

Deus ſtetit in Synagoga Deorum. In hebræo eſt בעדת-אל behhadat el, *Deus adſtat in congregatione Dei.* Tert. „ Deus Deorum ſtetit in eccleſia Deorum “. Hier. „ in cœtu Dei “. Quia vero Synagoga, ſeu cœtus perſonarum pluritatem importat, ideo translatores ut ſupra interpretati ſunt.

Sicut homines moriemini. Hier. vertit „ ergo quaſi Adam moriemini “; nomen proprium Adam primi hominis uſurpando, qui cum non eſſet moriturus niſi

Digitized by Google

ſi peccaſſet, per inobedientiam vero mortalis evaſit. Fieri poteſt, ut idem ſanctus doctor modo interrogativo legerit, ſicuti obſervavit Agellius in Vaticano codice, quaſi dicas, ergo ne moriemini, ſicut & primus homo?

PSALMUS LXXXII.

ARGUMENTUM.

Jeruſalem inimicis perſequentibus exitium fatale imprecatur.

TITULUS.

Canticum, & pſalmus ipſius Aſaph. Heb.
Canticum pſalmi ipſi Aſaph. LXX.

℣. 14. Et. Tam in præſenti, quam in ſequenti verſiculo primo apud Hebræos, ſecundo apud Græcos deſideratur.

ANNOTATIONES.

NIhil novi circa tituli explicationem addi poteſt, cum jam alibi loquuti de illo umus.

Deus quis ſimilis erit tibi? Æquivocæ ſignificationis eſt dictio דמי domi: D. Hier. interpretatus eſt „ Deus, ne taceas tibi“. Pagn. „ Deus, ne ſit ſilentium tibi“. *Neque compeſcaris.* S. P. Aug. legit „ neque miteſcas“. Theodoretus ex Symm. „ ne taceas quieſcens“.

Moab, & Agareni. Moabiticus populus ab altero filio ex inceſtu Lot cum filia majore ortum duxit, qui Moab appellabatur. Hic moratus eſt in Arabia deſerti, vel Petræa inter mare morruum, uſque ad Euphratem, & a torrente Arnon, uſque ad deſertum Cadesbarne.

Agareni Chaldaice Hungari, Iſmahelis ſucceſſores ſunt, nunc Saraceni, & Arabes a poſſeſſa regione appellantur. Non a Sara Saraceni ſunt dicti, ſed ex hebræo Sarak, nempe *prædari*, cum plerumque vitam in latrociniis ducant. Arabiam Felicem olim Agareni coluerunt, teſte Plinio, alii Arabiam deſerti. Stephanus, & Euthymius putant, Saracenos vocari a Saraja urbe Arabiæ, vel a Sarra.

Gebal, & Ammon. Gebal alio nomine Giblos civitas in Phœniciæ finibus poſita inter Tripolim, & Berytum. Habitatores illius in conſtruendis navibus olim magno in prætio habebantur. Non deſunt, qui illam, apud Tortoſam, & Laodicæam collocent. Hier. Theod. Eucherius, Villalpandus exiſtimant, montem eſſe Hebal dictum. Chriſtianus Andricomius montem facit e regione oppoſitum monri Garizim cavernoſum, & voraginoſum, & qui ſæpe terræ motum patiatur; modo *Gibal* appellat Phœniciæ civitatem.

Ammon alter Lot filius extitit, qui civitati nomen dedit quæ prius vocabatur Ammon, ſive Rabba, & Rabbath.

Et Reb, & Rebee, & Salmana. Reb Madianitarum princeps fuit ab Ephraimitis occiſus, cujus caput trans Jordanem ad Gedeonem delatum fuit an. M. 2759. Jud. 7. 25.

Rebee Madianitarum pariter procer, propria Gedeonis manu interemptus, an. M. 2759. Jud. 8. 5.

Salmana ejuſdem populi ductor; quem Gedeon diſperſit eodem anno. Jud. 8. 5.

Pone eos ut rotam. גלגל ghilghal proprie rotam ſignificat, at R. Salomon explicat de herba quadam, quæ quidem in vertice rotæ conſimilis videtur, & illico evaneſcit quotieſcumque vel hominis alitus, vel ventus illam percutiet: Sic etiam Rab. David, & Cyprianus docent.

PSALMUS LXXXIII.

ARGUMENTUM.

Domini templum laudibus extollit propheta.

TITULUS.

Victori ſuper gittith filiis Corah, pſalmus. Heb.
In finem pro torcularibus filiis Core, pſalmus LXX.

℣. 3. Et deficit. Additum inſpicimus in hebræo „ & etiam “.

℣. 4. Passer invenit sibi. Licet in textu sibi non exiſtat, tamen ſubintelligitur.

℣. 5. In domo tua domine. Tam hebræus, quam græcus Domine reticent.

℣. 11. Dies una. τὸ una transl. appoſuerunt.

ANNOTATIONES.

D. Hier. & Hebræorum doctores filios Corach tamquam hujuſce pſalmi auctores cognoſcunt, utrum vero unus, aut plures extiterint, in eorum libris non apparet.

Quam dilecta. Nomen ידידות jedidot Hier. & LXX. „ quam amabilia “ interpretati ſunt. S. Cyp. „ quam dilectiſſimæ habitationes tuæ “. D. Parens, Caſſiodorus, & Paulinus ut LXX. legunt.

Etenim paſſer. Eſt enim צפור tſipor, quod per aves in genere D. Hier. & alii acceperunt. Paraph. pro *paſſere* ponit *columbam* יונה jonah.

Aſcenſiones in corde ſuo. Videtur מסלות meſillot nonnullos vertiſſe „ ſemitæ, viæ “ ob id clarior ſententia redditur. Ita S. Hier. vertit.

Ibunt de virtute in virtutem. Hebræus ſic ſe exhibet ילכו מחיל אל.חיל jelecù mechail el chail, quæ verba D. Hier. vertit „ ibunt de fortitudine in fortitudinem “. Pagn. „ ibunt de turma in turmam “. Italice *di ſquadrone in ſquadrone*, in templum, nempe, vel eorum augeatur doctrina, ut eam unuſquiſque in Eccleſia videat. Verbum enim חיל non pro morali ſumitur virtute, ſed pro *robore*, *vi.* Euthymius, Nicephorus, Baſilius, & Theodoretus pro morali virtute accipiunt.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei. Elegantior, ac pulchrior hebraica phraſis „ בחרתי הסתופף בבית אלהי bacharti iſtopep beber elohai “, *elegi morari in li-*

m:i-

mine domus Dei mei. Rab. Kimki docet „ ad limen ſtare, in limine manere “. Crucius Jeſuita habet:

> *Aſſervare domus hic claviger oſtia mallem,*
> *Sceptriſer in ſcelerum quam ditione coli.*

PSALMUS LXXXIV.

ARGUMENTUM.

Ut cum impiis reconcilietur Deus propheta orat.

TITULUS.

Victori filiis Corah, pſalmus. Heb.
In finem filiis Core pſalmus. LXX.

℣. *6.* Aut. Deſideratur in hebræo.

℣. *9.* Loquetur in me. τὸ in me transl. addere placuit.

℣. *11.* Misericordia et veritas obviaverunt sibi. Sibi tam Hebræi, quam Græci non habent: reperitur tamen apud LXX. in margine.

ANNOTATIONES.

DE reparatione Mundi per Chriſtum, Rabini hunc pſalmum explanant, ut Kimki, & Moſes Hadarſan.

Benedixiſti Domine terram tuam. Apud hebræum eſt רצית ratſita nempe, complacuiſti D. Hier. ad Suniam ſcribens, fatetur ſic vertiſſe ad proprietatem linguæ latinæ, alias dici debere „ complacuiſti Domine terræ tuæ “. In ejus pſalm. eſt „ placatus es Domine terræ tuæ “.

Averte iram tuam a nobis. הפר hapar, a radice פור pur *ceſſare fac* demonſtrat. D. Hier. „ Solve iram tuam adverſum nos “.

Qui convertuntur ad cor. כסלה cheſilah *ad ſtultitiam* verbum hebraicum exprimit. S. Hier. „ ut non convertantur ad ſtultitiam “. Alii „ ut non recidant „ in ſtultitiam “. Greci codices emendati legunt „ & in eos, qui convertunt „ cor ad ipſum “: Sic etiam habet D. P. Auguſtinus.

Dabit benignitatem. In hebræo nomine הטוב hatob *bonum* litera ה h reperitur, quæ a grammaticis *demonſtrativa* appellatur, per quam ipſe actus exprimitur bonitatem tribuendi, illeque fons e quo emanat indigitatur, nempe Deus. D. Parens, Proſper, & Fulgentius *ſuavitatem* legunt.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS LXXXV.

ARGUMENTUM.

Ut ab hoſtibus liberetur David orat, ac gentilium converſionem prædicit.

TITULUS.

Oratio ipſius David. Heb.
Oratio ipſi David. LXX.

℣. 2. Et exaudi me. Et hebræus teticet.

℣. 15. Et non proposuerunt te. Aliqui ex græcis τὸ τε non habent, at error librariorum eſt.

ANNOTATIONES.

IPſum Davidem auctorem ignoſcunt præſentis pſalmi Hebræi latinique doctores, in Saulis perſecutione ab ipſo exarati. Probabilior ſententia eſt illa, quam Janſenius, & Agellius tradunt, de Abſalom, nimirum, perſecutione.

Lætetur cor meum. Idiotiſmus hebraicus eſt יחד jachad, hoc eſt, *uni cor meum:* revera Aquila, Symmacus, & D. Hier. ita interpretati ſunt, primus „ unice “: ſecundus „ uni “: tertius „ unicum fac “. Ad iſtius intelligentiam ſententiæ repetere oportet, quod Trevetus ſuper Hieronymi verſionem ſcripſit, nempe, ut compeſcat Deus fluctus cordis, & revocet ab inquietudine, a diſſidentibus, a diſſipatis, quibus huc, illuc trahitur affectibus, efficiatque ut non ex parte tantum, ſed ex toto corde timeatur Deus. D. Pater legit „ jucundetur cor meum “.

Patiens. ארךאפים erehapaim longus ita, & juxta literam, *latis naribus:* quotieſcumque in hebraico textu iratus aliquis deſcribitur, ea utitur phraſi, quatenus in hominis naribus, dum iraſcitur, aliquid peculiare dignoſcitur perturbationis. Pſalm. Amb. & D. P. A. habent „ longa nimis “. Chaldaice „ remotus ab ira “.

PSALMUS LXXXVI.

ARGUMENTUM.

Summis laudibus civitatem Jeruſalem extollit.

TITULUS.

Filiis Corah pſalmus cantici. Heb.
Filiis Core pſalmus cantici. LXX.

ANNOTATIONES.

INter Hebræorum doctores ſententia viget, hujus pſalmi materiam circa Jeruſalem, templumque verſari. Addunt, ſed perperam, quod in Meſſiæ adven-

ven-

Digitized by Google

ventu, mons Sion elevabitur in altum, ex occaſione translationis montium Sinai, Tabor, & Carmeli, ac ſuper iſtos mons Sion ſtabit, idque ex Iſaia 2. comprobant, ubi legitur „ Erit in noviſſimis diebus mons domus Domini in vertice „ montium, & elevabitur ſuper colles “. Nonne ridiculi ſunt thalmudiſtæ? D. Pareus hunc pſalmum brevem numero verborum vocat, magnum pondere ſententiarum.

Memor ero Rahab. Hier. & Iſidorus legunt „ commemorabor ſuperbiæ “. Euthymius per *Rahab*, Chananæos intelligit, quia celebris illa meretrix Chananæa erat explicat etiam de Arabia, quod Nicephorus ſequitur. Nonnulli firmiter credunt, nomen meretricis eſſe, cujus hiſtoriam transferunt ad myſterium vocationis gentium a Chriſto liberandarum. Communior opinio hebraicum intelligentium eſt, de Ægypto explicari verbum illud.

Nunquid Sion dicet. LXX. legunt „ mater Sion “. Sic Tertull. Amb. D. P. A. In commentariis D. Hier. legitur ita ſcripſiſſe „ numquid Sion “. Sed cum a pleriſque minime intelligeretur, addidit *mater* Heb. eſt ולציון יאמר ulteſion icamar *Sioni dicetur*, *vir & vir.* Symm. „ De Sione dicetur, vir, & vir natus „ eſt tibi, & ipſe ſtabilivit eam “. Apoll.

Matrem honoratam vir Sionem vocabit.

Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te. En quid in hodierno hebræo extat ושרים כחללים כל מעיני בך veſciarim chechomolelim col mahhanai bah, & *cantores, ſicut tibicines omnes fontes mei in te.* Ita etiam in variis D. Hier. editionibus. In Fabrii, & Victorii editione „ & cantabunt quaſi in choris, omnes for„ tes mei in te “. Error tamen irrepſit, nam *fontes* non *fortes* legi debet, cum verbum hebraicum numquam *fortes* ſignat ut obſervavit etiam Trevetus, & Titelmanus.

PSALMUS LXXXVII.

ARGUMENTUM.

Hominem vehementer anguſtiis affectum eleganter deſcribit vates.

TITULUS.

Canticum pſalmi filiis Corah, victori ſuper mahalath ad canendum, intelligentia ipſius Heman Ezrahitæ. Heb.

Canticum pſalmi filiis Core, in finem pro maeleth ad reſpondendum, intellectus Æman Iſraelitæ. LXX.

℣. 8. Fluctus tuos induxisti super me. τὸ ſuper me transl. poſuerunt, in hebræo enim, & in LXX. non extat.

℣. 11. Suscitabunt, et confitebuntur. Hebreæus Et reticet.

℣. 15. Orationem meam. Pro quo tam Hebræi, quam Græci „ animam meam “ habent.

ANNOTATIONES.

Titulus præſens ita tenebris obvolvitur, ut ipſemet R. Kimki teſtatur, incognitum fere eſſe; tamen aliqua probabilia afferre poſſumus. In primis ma-

mahalet nonnulli cum aſpiratione inſcribunt, apud alios ſine illa intuetur: hebraice tamen *mahalath*. Quamplures Græci, & D. Hier. *choream*, *tripudium* explicant: *chorum* aliqui ex Latinis exponunt D. Parens, Caſſiodorus, Bruno, Haimo, Hugo, & alii. In Arnobio eſt *maleth*, ideſt, *deſtitutum*. Agellius præter innumera, quæ hoc in loco loquutus eſt, opiniones illorum affert, *modulum inchoatæ cantilenæ a maeleth* docentium, ad cujus inſtar pſalmus iſte cani deberet. Aquila *ſuper choream* tranſtulit.

Ad reſpondendum. D. Hier. habet „ ad præcinendum ": alii „ ad canendum, „ aut laudandum ". Cajet. & Kimki „ ad affligendum, aut humiliandum ": quam verbum ענה hhanah, præter cæteras, etiam modo dictas notiones obtinet.

Eman Ezrahitæ. apud Græcos „ Æman Iſraelitæ ": in pſ. Rom. „ Eman Iſrae„ litę ". Latini quoque ſcribunt „ Eman Iſraelitæ ". Hier. Cyp. & Remigius „ Eman „ Ezrahitæ, quamvis in ipſo commentario hic *Iſraelitam* legat, & *Jezraelitam*, cujus noviſſimi nominis notionem, ait, eſſe *orientalis advena*. Paraphraſtes pro *Ezrahita* ponit *jattſita*, quod indigenam ſignat. Tandem Rickerius refert, alios *Jeſraitam* legere. Quot nam ſunt in uno verbo miræ varietates! Eutymius vocari docet *Heman Iſraelitam*, ſic & Nicephorus, non quia cæteri cantores Iſraelitæ non extiterint, ſed quia forſan alienigenæ nomine vocabantur eodem, ut & Ethan, erat cognomen. Genebrardus illum Samuelis neptem facit, cantorum principem, de eo autem negat hic mentionem facere, at de alio cum Lyrano, qui Lare filii Juda, filius fuerit, aut alterius tempore exitus Ægypti florentis, a quo denominationem ſumat *Ezrahitæ*, tamquam ducens a Lara originem, & hunc filiis Corah quos conſtat, ſub Moſe vixiſſe, dicare pſalmum Abulenſis adjudicat, Eman, & Ethan illos, qui laudibus extolluntur a ſapientia in regum hiſtoria. Verum in libris illis Eman appellatur filius Joel filius Samuel. Cajet. poſt Hebræos, *Ezrahitam* nomen patres Ezrai eſſe contendit, ſicuti *Anathotites* Jeremias vocabatur. Hebraizentes vim nominis conſiderantes putant ſignificare ſtirpem multorum, cum id verbum זרח zarach importet. At de titulo ſatis; innumera alia apud Hiſychium, ac laudatos auctores vide.

Rab. Salomon docet, prophetam ordiſſe populi Iſraelitici afflictiones, & ærumnas, maxime babylonicas, ideoque hunc pſalmum exaraſſe, ut liberaretur hebræa caterva, quam Baſilius, & Theodoretus ſententiam amplectuntur.

Quia repleta eſt malis anima mea. Emphatico modo ſe exprimit heb. ברעות כי שבעה chi ſabehhah berahhot, quia ſaturata eſt in malis anima mea.

Sine adjutorio. Pariformiter, אין איל en ajal *ſine robore*, *ſine viribus*, *aut fortitudine*. D. Hier. „ quaſi homo invalidus ": egregia antitheſis.

Oculi mei languerunt præ inopia. Clarius ex heb. *oculi mei elanguerunt ab afflictione mea.* Theodoretus ex Symm. heb. propius „ oculus meus effluxit præ „ afflictione ". D. Hier. „ oculus meus infirmatus eſt ab afflictione ". D. P. A. Arnobius, Caſſiodorus „ oculi mei infirmati ſunt præ inopia ". Ad id reſpondet, quod Catullus ad Manlium ſcripſit,

Mæſta namque aſſiduo tabeſcunt lumina fletu.

Plinius habet, quod magna cogitatio obcęcat, adducto intus viſu, & in morbo comitiali aperti oculi nil vident, animo caligante.

Aut medici ſuſcitabunt. Hier. & quamplures alii τὸ *medici* explicant *gigantes*: uterque ſenſus ſtat, nam nomen רפאים rephaim illas obtinet ſignificationes, & etiam philoſophus, gigas, exanguis, teſte Ricc. & Hier. Plura de hoc nomine videre eſt apud Pinedam in Job. 26. ℣. 5.

PSAL-

PSALMUS LXXXVIII.

ARGUMENTUM.

Canit promiſſum David regnum æternum.

TITULUS.

Intelligentia ipſius Ethan Ezrahitæ. Heb.
Intellectus Æthan Izraelitæ. LXX.

℣. 17. ET IN NOMINE TUO. τὸ ET hebræus non habet.

℣. 20. IN VISIONE SANCTIS TUIS. Pro quo græcus legit „ filiis tuis “ teſte Marino.

℣. 33. VISITABO. Hebræus addit ET viſitabo, quod vim auget ſententiæ.

ANNOTATIONES.

HEbraica traditio admonet, Ethan patriarcham Abraham ſignificare. Aſſerunt enim Hebrei illud cognomen illius extare, cumque de Oriente veniſſe, nimirum, de Chaldæa in Paleſtinam, atque ab eodem compoſitum præſentem pſalmum eſſe. Titulum, quem Paraph. poſuit, eſt hujusmodi „ Intelle„ ctus bonus dictus per manum Abrahę, qui venit de Oriente “. Qui ſolum Davidem auctorem volunt pſalmorum, illum reiiciunt, ac demonſtrare conantur, cantorum ſtirpem, originemque exhibere. Variæ ſunt nominis Ethan expoſitiones; aliqui *robuſtum* verterunt: e contra Arnobius, *humiliatum*, expreſſit: Galatinus *fortem venturum*, *indigenam*, *illuſtrativum*, *orientalem*. Felix obſervat, quod in hebraico nomine איתן ethan, litera א aleph totum id importat, quod totum nomen tetragrammaton, nam (י) jod prima apparet litera, qua nomen illud inſcribitur (ת) tau crucem ſignat, (נ) nun filium, quaſi in laudem Chriſti Redemptoris. Verum cabaliſtica videtur obſervatio, alii adjudicent.

Catholici cum Habræis conveniunt in hujuſce pſalmi materia, nempe, quod regnum David æternum erit, cum firmatum ſit in Chriſto Jeſu, ſed in hoc Judæi differunt, quod adhuc Meſsiam expectent. R. Aben Ezra teſtatur, nullum ſuæ nationis inveniſſe, qui hunc pſalmum decenter expoſuerit, cum ſubiici videatur contradictio, quod irritum fecerit Deus pactum ſuum. Inſuper narrat, reperiri in Hiſpania quemdam Rabinum ſapientem, piumque, cui viſum fuit hunc pſalmum duriſſimum, eo quia graviſſimas contumelias adverſum Deum contineret, ita ut nec illum legere, aut legi pati poſſet. Suos hujuſcemodi doctrinis Rabini inſtruunt.

Diſpoſui teſtamentum. Hebræus legit אכין achin, hoc eſt, ſtabilivi, firmavi, quod magis eſt, quam diſponere. D. Hier. „ percuſſi fœdus “. Notandum pariter eſt, quod verbum כרה charah, priſcum demonſtrat ritum diſſecandi victimam in fœdere faciendo. De hac ceremonia mentio eſt in Gen. 15. 9. Et apud Ennium habetur

Accipe, deque fidem, fœduſque feci bene firmum.

M Ad-

Addebant gentiles in ſua formula „ Si ſciens fallo, ita me feriat Jupiter, qui „ plus poteſt, pollet que“. Legi poteſt Alexandrum ab Alexandro lib. 5. 3.

Thabor, & Hermon in nomine. Thabor eſt mons in Galilæa, in finibus tribus Zabulon poſitus, in media Galilæa, & eſt perfectæ rotunditatis, ac pulchritudinis. In finibus Iſſacar Joſue eum collocat. Joſ. 19. 22. Illius ſignificantia eſt *celſitudo.* Reſidet in medio campi ampliſſimi, altitudine triginta ſtadiorum, ſi Joſepho fides, extollitur. Coni figura ſublevatur ſolitarius, & juxta D. Hier. in Obſ. 5. 11. „ Eſt autem Thabor mons in Galilæa ſitus in campeſtribus, rotun- „ dus, atque ſublimis, & ex omni parte finibus æqualiter“. Virentibus herbis coopertus eſt, & in vertice maxima reperitur planities. Nunc totus deſertus apparet. Olim in ſummitate civitas extabat nomine Thabor, quæ Levitis e familia Merari ceſſit. Paralip. 1. 6. de qua Polybius, & Joſephus ſermonem inſtituunt. Celebriores erant apud Hebræos primus quia ibi nunciata eſt victoria Barac de Siſara: ſecundus, quia Hermon Jordanis loco, ubi illi tranſierunt ſicco veſtigio. Apud nos pariter magno in pretio habentur, quoniam in Thabor transfiguratus eſt Chriſtus Dominus, prope Hermon ipſe baptizari voluit.

Semel juravi ſancto meo. Emphatico modo ſe exhibet heb. בקדשי bakadoſci, ſemel juravi in ſanctitate mea, per ſanctitatem meam.

Memorare quæ mea ſubſtantia. Sic hodiernus heb. legit זכר אני מה חלד zacar anì mah chalud, memento, ego quid ſim tempus. D. Hier. „ memento mei de „ profundo“. Chaldaice „ recordare, quod creatus ſum de pulvere“. Apollinarius

Recordare omnium Rex, mortalis vita quanta eſt.

Commutationem Chriſti tui. Symmacus, Theodotio, Hieronymus ex hebræo „ veſtigia Chriſti tui“. Theodoretus admonet, quod intelligendum eſt de regibus, qui præceſſerunt Chriſtum, & commutatio dici poteſt, quia ſecundum carnem ab illis deſcendit, & imperando illum adumbrarunt, ſic Apoll. ſcripſit

Qui utique tui Chriſti etiam imaginem cavillabantur.

Finis libri tertii juxta Hebræos.

LIBER QUARTUS PSALMORUM SECUNDUM HEBRÆOS.

PSALMUS LXXXIX.

ARGUMENTUM.

Vitæ noſtræ brevitatem, atque infirmitates ex peccato ortas deplorat Moſes. Deprecatur, ut per Chriſtum deleantur.

TITULUS.

Oratio ipſius Moſeh viri Dei. Heb.
Oratio Moyſi hominis Dei. LXX.

℣. 2. IN SÆCULUM TU ES DEUS. τὸ DEUS in textu heb. redundat.
℣. 6. INDURET, ET ARESCAT. Non reperitur in hebræo verbum INDURET.
℣. 9. ET IN IRA TUA DEFECIMUS. Particula ET non legitur apud Jud.

ANNOTATIONES.

CONſuetum Prophetarum nomen eſt *homines, & viri Dei*, ſicuti Paraph. in ſuo titulo „ oratio, qua oravit Moſes propheta Domini, quando peccavit po-

Digitized by Google

„ populus domus Iſrael in deſerto “. Qui Davidem hujus pſalmi auctorem volunt, docent, quod ſicut Moſes veteris teſtamenti legislator extitit, novique propheta, ideo ejus nomine inſignitur, quatenus & quæ Iſraelitis contigerunt continet, & aliqua ad Chriſtianum populum pertinentia includit. Verum D. Hier. qui hiſce in rebus plus ſtuduit omneſque Hebræorum doctores cum eo propugnant, Moſem & hunc, & decem ſequentes exaraſſe. Ita pariter Gerebrardus ſentit.

Priuſquam montes fierent. Literalis hebraici nominis explicatio eſt, *priuſquam montes naſcerentur*, ſic ילדו juladdu importat.

Ne evertas hominem. Negationis particula in textu hebraico non legitur, unde idem habet „ convertis hominem uſque ad contritionem “ ex quo ſententia majore donatur emphaſi: quæ quidem explanatio D. Hier. eſt. Apud Trevetum „ convertes “. Paraph. „ rediges hominem propter peccatum ejus uſque „ ad mortem “.

Sicut herba tranſeat. Aliquid plus per verbum חלף chalaph exprimitur, in ipſo enim quid homini contingat dum vivit, demonſtratur, adoleſcit, incrementum accipit, deinde moritur. Hebraizantes hæc omnia in illo intuentur verbo.

Defecimus in ira tua. Convenientius ex hebræo, כלינו calinu conſumpti ſumus, ita Hier.

Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur. Senſum tranſtulerunt LXX. cæterum per hebraicam dictionem ſic exprimitur כלינו שנינו כמו הגה calinu ſcianenu chemo hegheh, *conſumpſimus annos noſtros ſicut ſermonem*, *aut meditationem.* Hier. Hebræique omnes.

Et amplius eorum labor, & dolor. עמל ואון hhmal veen, hoc eſt, labor, & iniquitas. Alii „ & fortitudo eorum perverſitas, & iniquitas, vel ſuperbia, „ & faſtus “. Chaldaice „ at multiplicatio eorum labor, falſitas, peccatoribus “. Legendi ſunt expoſitores.

Dexteram tuam ſic notam fac. למנות ימינו limnot jamonnu *ad enumerandum dies noſtros*, ita diverſiſſime legit hebræus. Hujus rei rationem D. Hier. reddit, quia *jamenu* compoſitum verbum eſt, *dies noſtros* ſignificans, quod ſi numero ſingulari ſcribatur, tunc noviſſima litera, quæ eſt (נ) nun dexteram exprimit, ſi vero (ם) diem. LXX. igitur primo modo legerunt. Juxta Hebræos totius verſiculi ſenſus eſt, *numerandum* vel *ad numerandum ut numeremus dies noſtros ſic ſcire fac, & adducemus in cor ſapientiam.* Aquila, Symmacus, & quinta editio verterunt „ dies noſtros ſic oſtende, ut veniamus corde ſapienti “.

PSALMUS XC.

ARGUMENTUM.

In periculis, & calamitatibus Deus eſt invocandus.

TITULUS.

Laus cantici ipſi David. LXX.

℣. 1. Dei cæli. Non reperitur in hebræo τὸ Cæli.

℣. 2. Susceptor meus es tu. Ex Græcis aliqui es tu. non habent; Latinus, & LXX. ex vi verborum poſuerunt.

℣. 9. Tu es Domine. τὸ Es neque in hebræo neque in græco extat. A Tranſl. additum eſt, idque in cauſſa fuit, ut oratio tantiſper obſcurior evaderet.

ANNOTATIONES.

A Gellius memoriæ lapſu *pſalmum* cantici in omnibus tum latinis, tum græcis codicibus extare dixit, cum ſit „ laus cantici David “. In Bibliis regiis, & complutenſibus apponitur „ ſine titulo apud Hebræos “. Non reperitur pariter in translatione D. Hier. neque apud Parentem Auguſtinum, Joan. Cryſ. Hil. & Euſeb. ob id tam S. Hier. quam Rabini putant Moſis eſſe ſcripturam uſque ad centeſimum pſalmum. Agellius qu·mdam anonymum græcum citat, aſſerentem, LXX. poſuiſſe hanc inſcriptionem „ per mutuum conſenſum “ nempe, in transferenda ſcriptura declarant, ſe habuiſſe Spiritus Sancti ductum, & ſubminiſtrationem. Apollinarius etiam apparet titulum recipere

Laudem nobilem magnus David cecinit.

Et a verbo aſpero. Symm. „ Verbum, & Sermonem vinlenti inſultus, contumeliæ, injuriæ “. Hodiernus hebræus legit מדבר חוות middeber chavot *a peſte iniquitatum*: duo nnmen דבר davar ſignificat, *verbum & peſtem*, ſi puncta varientur: LXX. primo modo verterunt, D. Hier. pro *peſte* aut *morte* tranſtulit „ a morte inſidiarum “. Hebræi univerſi „ a peſte exitiali “. Apoll.

Et a verbo inſtabilis tumultus trepido.

A negotio perambulante in tenebris. Hebræus habet מדבר middeber, nempe, *a peſte ambulans in caligine.* Hoc item in loco LXX. ut ſuperius verterunt. D. Hier. „ a peſte in tenebris ambulante “. Alii „ ab excidio, quod in obſcuro graſſatur “. Obſervat Lorinus quod vox *negotium* pro quovis opere uſurpatur, pro labore, moleſtia.

Ab incurſu, & Dæmonio meridiano. Aquila, & D. Hier. ſcripſerunt „ a morſu inſidiantis meridie “. Hebræi literaliter vertunt „ a morbo repentino “. In pſ. Rom. & vetere, & quo Mediolanenſis Eccleſia utitur, D. P. A. Caſſiod. Arnob. legitur „ a ruina “. Thalmu li'tæ, & R. Salnmon interpretantur de dæmone peſſimo, qui audeat, etiam meridie, & palam ſevire. Idem Hebræorum doctor exiſtimat, dæmonium eſſe nomine Meriri hebraice קטב Keteb, ab exciſione; Rab. Jarrius hoc pariter ſentit, & ait, ſicuti erant Angeli ad populi protectionem de-

pu-

putati, ita permiſſos a Deo dæmones ad eum tentandum, ut tamen boni protegerentur, & liberarentur, quod Lyrano etiam placet. Ceteri de morbo peſtilente explicant, ex vi ſignificationis verbi, quo Oſea pariter utitur „ ero morſus tuus „ inferno“, nam peſtilentia quodammodo mordere videtur. Revera Theodotic, & quinta editio „ plagam“ vertunt.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis. Apud Hebræos extat תדרך tidroh calcabis aſpidem, ſic D. Hier. Alii „ leonem grandævum“. Aſpidis proprietates in hoc verſu Hugo recluſit

Callida, ſurda, brevis, narcotica, picta, venenans.

Baſiliſcus, ſeu regulus ſerpentum rex vocatur, quoniam in acutiſſimo capite tres defert eminentias, maculis ſubalbis decoratas, tamquam diadema. Solinus inquit, alba ſit quaſi mitrulæ lineatum caput. Plinius, & alii autumant iſtius magnitudinem duodecim digitorum extare, corpore flavo, e nigredine in cinerem vergente: dum progreditur corporis anteriorem partem in altum tollere ac erectum incedere, ut videatur propterea pedes habere: ſolo halitu lædere, & ſibilo: etiamſi mortuus fuerit, ſi attingatur, mortem inducit: necare etiam fructices afflatos, exurere herbas, rumpere ſaxa morſu: ideo in templis olim ejus corium ſuſpendebatur, ut nulla vel ales involaret, vel aranea intexeret, ita Solinus ſcribit. Eo aliquando occiſo haſta, per hanc veneni vim ſubiiſſe quæ abſumpſerit equitem, & equum, ſic Luca lib. 9. Plin. l. 8. c. 21. Ex ovo gallinaceo gigni. Si ſe in aqua pura, & limpida conſpiciat, vel in ſpeculo mori, ob reflexos ſpiritus venenatos in oculos ipſius unde exierant: horret gallinacei cantum; muſtelæ venenum illi exitio eſſe. Legi debent, præter modo dictos, Ricandrum, Dioſcoridem, Matthiolum, Scaligerum. Utrum vero hæc vera ſint, ignoro, nec illa conſcribendo tamquam certa minime intellexi enunciare: auctorum opiniones retuli. Baſiliſci proprietas Antichriſto Hugo tribuit

De gallo natus mitratus ſemipedalis;
Arduus a medio, fugat angues ſibilus ejus:
Exurit ſata: ligna, viros, volat, inquinat auras:
Sternit aves, tangit fera nulla, quod ille necavit:
Muſtelæ cedit, volucres quoque mortuus arcet.

PSALMUS XCI.

ARGUMENTUM.

Quæcumque fecit Deus in cœlo, & in terra maxima ſunt, & admirabilia, ideoque laudandus. Reos punit, ſolaturque fideles.

TITULUS.

Pſalmus cantici in diem Sabbati. Heb.
Pſalmus cantici in die Sabbati. LXX.

℣. 14. In atriis domus Dei nostri. τὸ domus ad majorem declarationem a translat. poſitum fuit: in Hebræo enim non extat.

ANNOTATIONES.

Ab Hebræis accipitur, Moſem hunc feciſſe pſalmum die Sabbati recitandum, cum præ ceteris celebrior ſit, & in qua Deus requiequit ab opere. In ipſo ad re-

referendas Deo gratias beneficio creationis inducimur. Addit R. Kimki, quod Adam die veneris circa horam tertiam creatus ſurrexit, hora undecima peccavit, hora duodecima condemnatus fuit, pulſuſque de paradiſo, reliquo die in lacrymis permanſit: die vero ſabbati mane culpa ei remiſſa fuit, tunc opera Dei, creaturarumque univerſitatem conſiderare cœpit, & præ lætitia in ſimilia verba præſentis pſalmi prorupit. Catholici pro gratiarum actione hunc recipiunt, atque Hebræorum ſigmentum merito reiiciunt. Cajetanus pro quolibet feſto ſabbatum accipit.

Et ſenectus mea in miſericordia uberi. Hb. habet בלתי בשמן רענן balloti beſcemen rahhaoan, non nulli Hebraizantes τὸ balloti vertunt, cum aliis verbis „ conſpergar oleo viridi “. Alii a verbo בלה balah *inveteravit*, ex quo ſenectus evenit. LXX. interpretati ſunt „ in miſericordia pingui “ ita D. P. A. Theodoretus ex Symmaco „ vetuſtas mea, ſicut oliva vigens, ac bene germinans “. Alii radicem volunt a בלל balal *confundere, miſcere.* Videtur, Gij tantum בלותי balluti legiſſe, ſic a ſuo rabino edoctum, ſed hunc non reperimus modum lectionis nullibi. Apollinarius

Et cana floreat in pingui ſenectus oleo.

Sicut cedrus a Libani multiplicabitur. De Libano jam alibi loquuti ſumus. Cedrus *ardua arbor* vocata eſt propter ejus proceritatem; ab odore *odorata.* Imputribilis eſt, atque illius oleo inuncta materies, immunis a tineis perſeverat, ita ut liniti hocce ſucco libri Numæ, quingentis triginta quinque annis infoſſi perduraverint, ita Plin. 13. Ex eodem ligno arca fœderis contecta erat, templumque perornatum fuit. Aponius aſſerit cedri, & palmæ ſuccos tantæ virtutis eſſe, ut diverſa corporum membra ſanent, vermes ulcorum necent, a lue peruncta corpora defendant, earum naturam ſemper creſcere, nec aliquando ſinire in ſenectam. Verum hanc ultimam extolli dotem cedri, & palmæ credo ab Aponio, ob raritatem in noſtris regionibus: ceterum & in Libano, & prope ipſum ſeneſcunt homines, ac vitæ cedunt.

PSALMUS XCII.

ARGUMENTUM.

Propter mundi creationem Deum laudibus celebrat Vates.

TITULUS.

In die ante Sabbatum, quando fundata eſt terra, laus cantici ipſi David. LXX.

ANNOTATIONES.

IN hebræo nulla apparet inſcriptio, nec in hexaplo. Apud Theodoretum hæc leguntur „ laus cantici ipſi David ſine inſcriptione apud Hebræos “: Deinde „ illud non eſt in hexaplo, neque apud Euſebium “. Nec in ipſa D. Hieronymi translatione habetur. Nunc Græcis eſt „ laus cantici ipſi David “: ita S. P. Aug. legit. Hoc in loco Rickelius, tacito nomine, Lyranum reprehendit aſſerentem, titulum hunc ab aliquo expoſitore, pro lubitu ſuo, appoſitum fuiſſe nam credendum eſt, ait, pſalmorum titulos Spiritus Sancti inſpiratione formatos eſſe, quoniam omnes Sancti, ac catholici doctores de illis diſſerunt.

Rab. Salomon, more ſuo, Judæos ſolatur ſpe futuri Meſſiæ, de cujus regno, ipſi videtur memorari in præſenti pſalmo, atque ſcribit, Chriſto omnia regna

ſub-

ſubiicienda ſunt, tunc hebræi id intuentes, magnis vocibus dicent *Dominus regnavit, decorem indutus eſt*. Synagoga hanc retineat explicationem, quoniam filio Dei credere recuſat.

Elevaverunt flumina vocem ſuam. Aquila vertit „ elevatæ ſunt fluminum „ profunditates “. Hebræis eſt קולם Kolam *vocem ſuam.*

Mirabiles elationes maris. אדירים משבי-ים addirim misbere jam quæ verba latine reddit D. Hier. „ grandis fluctus maris “. D. Parens habet „ exaltatio„ nes “; quia quando mare iraſcitur, ſuſpenduntur fluctus. Fertur, quod Ariſtoteles in Euripi natura, ac vi contemplanda, cum diu ac multum laboraſſet, quod eſt fretum, & peranguſtum mare inter Aulidem Boetiæ portum, & Euboeam inſulam, recurritque ſepties unius diei, & noctis ſpatio, tædio demum affectum illic diem ſupremum obiiſſet, ex quo proverbium invaluit „ Ariſtoteles non habet „ Euripum, Euripus habet Ariſtotelem“. Quæ quidem elationes, ſeu exaltationes maris a philoſophis fluxus, & refluxus vocatur, qui multiplex eſt, nunc maris motus contingentes apparent, modo eodem tempore, quo incipiunt deſinunt, vehementiſſimi aliquoties, ita ad oppoſitam partem aquam repellunt. Idque attigit ex aeris motione rapida ſuper aquam, per quam partem alteram petere cohibitur, at cum mare fluidum ſit, impetuoſo aeri reſiſtere nequit, ob id horridæ exoriuntur tempeſtates. In aliquibus maris partibus motus methodici dignoſcuntur, non nulli circulares. Præter modo dictos, alios motus dignoſcimus in quibus ab oriente ad occidentem maris aqua dilabitur per ſex horas, atque exſiccata relinquit littora, deinde ſex elapſis horis, iterum priſcum lambit littus, priſtinamque ſervat altitudinem. Sic mare movetur præſertim æquinoctiorum tempore, & quidem mirabili forma, minores vero in ſolſtitiis, & dum Luna in ſygygiis verſatur, quando nempe, vel opponitur, vel cum Sole conjungitur uberiores ſunt fluxus, & paulatim decreſcunt, uſque dum ad lunæ quadraturas pervenerint, in quibus minimi ſunt, ac iterum paulatim augentur. Diuturnus etiam fluxus, & refluxus experitur cum diurno Lunæ motu mirabiliter capulatur; ſicut enim Luna dum diuturno motu circa tellurem convertitur, ſingulis diebus tardius ad aliquod horizontis, vel meridiani punctum revertitur, ex quo diſceſſerat, quia nimirum proprio motu ex oriente in occidentem ſenſim progreditur, adeoque diurnus illi oppoſitus ita retardatur, ut ſolo viginti quatuor horarum ſpatio integrum periodum abſolvere nequeat, ſed requirantur etiam minuta quinquaginta. Sed ſi ratio perquiratur de hac mirabili maris elatione, cum Newtono dici poteſt, id evenire propter univerſalem materiæ mutuam attractionem, qua tellus ad Lunam, Luna ad tellurem, ſingulæque ipſarum partes ad ſe mutuo gravitent, & attrahentur. Attamen cum egregie phœnomena fluxuum explicare conetur in lib. 3. ad prop. 24. & 37. nihilominus fatendum eſt, mentibus noſtris id prorſus occultum eſſe, ſic D. Parens tom. 3. lib. 1. c. 7.

PSAL-

PSALMUS XCIII.

ARGUMENTUM.

Innocentium oppreſſoribus juſtitiam optat.

TITULUS.

Pſalmus ipſi David quarta Sabbati. LXX.

V. 15. Et qui juxta illam. Translatores illud qui poſuerunt, ob id ſenſus obſcuratur: hebræus habet „ quia uſque ad juſtitiam redibit judi-„ cium, & poſt illud omnes recti corde“.

ANNOTATIONES.

NEc in hebraico textu, nec in translatione D. Hier. nulla reperitur inſcriptio. Item nulla elucet ratio cur decantari debeat quarta ſabbati. Paulus Burgenſis, Euthymius, Nicephorus Blemmida pro conſuetudine, qua olim habebatur præſentem pſalmum quarta ſabbati decantari ſtant. Etiam Apollinarius ſic ſe exprimit

Quaternione ſabbatorum dulce David cecinit
Circa nonageſimum ſuave carmen tertium.

Apud Theodoretum hæc depromuntur „ manifeſtum eſt, alios quoſdam inſcri-„ ptionem appoſuiſſe minime vero prophetam, aut eos, qui ab initio ſunt in-„ terpretati“. Colligitur ex Schol. „ ſine inſcriptione eſt apud illos tres, & in quinta, & ſexta“.

Apud Hebræos ſententia pollet, in præſenti pſalmo de captivitate loqui, in qua nunc vitam vivunt in variis orbis partibus, firmiterque ſperant, per futurum Meſsiæ adventum ſe eſſe liberaturos. Longæva & crudelis expectatio.

Libere egit. In textu legitur אל נקמות הופיע el nekammot opiahh, Deus ultionum reſplende appare. LXX. „ fidenter egit“. Aquila hebræo propius „ o-„ ſtende te“. Theodoretus teſtatur, omnes interpretes, ſi LXX. excipias, *oſtendere*, *manifeſtare* vertiſſe.

Paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. Senſum vulgata tenet, Hebræis eſt רומחנפשי dumahnaſci, in ſilentio anima mea habitaſſet.

Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis? Thronus iniquitatis emphatico modo habet hebræus. Aquila ex heb. „ numquid particeps erit tui thronus inſidia-„ rum, formans laborem ſuper præceptum“. Symm. „ numquid conjungetur tibi „ thronus injuriæ, formans miſeriam ſuper præceptum“. Hebraicum verbum in futuro eſt poſitum, Apollinarius vero in imperativo,

Non tibi thronus, o rex iniquus prope ſtet?

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS XCIV.

ARGUMENTUM.

Unuſquiſque ad laudandum, ac Domino ſerviendum invitatur.

TITULUS.

Laus cantici ipſi David. LXX.

℣. 2. Et. Hebræus ſilet.
℣. 4. Sunt. Non legitur in aliquibus græcis exemplaribus.
℣. 7. Dominus. Neque in hebræo, neque in græco reperitur.
℣. 10. Illi. Ad declarationem poſitum a tranſl.

ANNOTATIONES.

IN tranſlatione D. Hier. non extat titulus, nec apud Hebræos. Anonymus quidam græcus, quem Agellius refert, aſſerit, ideo non reperiri apud ipſos, quia non habent hebræi pſalmi diſciplinam eos ad Dominum vocantis, iterumque dicentis „ hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra " & Domino, cum jam adeſſet, & cum eis loqueretur, non auſcultaverunt, ait „ ergo ſine titulo apud eos hic pſalmus, quaſi non acceptus ". Ejus auctoris ratio minime probatur, tum quia & ipſum approbant, atque in peculiaribus eorum feſtivitatibus canunt, tum etiam quia non pauca ſunt cantica in quibus nulla reperitur inſcriptio, nihilominus recipiunt, licet in ipſis ſeveræ contineantur redargutiones.

Hebræorum ſententia de hujus pſalmi materia amplectenda haud eſt, aſſerentium, Moſem hunc exaraſſe, poſtquam mortui fuerunt ex Ægypto egredientes, ita ut mortuorum filii ad laudandum Deum inducentur, ne & ipſi ab ingreſſu in promiſſionis terram impediantur. Catholici ad myſticum deveniunt ſenſum.

Et altitudines montium. Vere תועפות tohhapot ſunt montium laſſitudines, & fortitudines. D. Hier. „ excelſa montium ". Non ſine cauſſa Propheta hoc in loco dixit „ & altitudines montium ipſe conſpicit " quoniam ipſi, non vero aliis propria, ac genuina montium dimenſio conceditur. Geometræ, & Optici ſuis propoſitionibus, machinis, vel inſtrumentis minime aſſequuntur. Et quidem aeream regionem qui terminant, quo extracti e terra, vel aqua exalationum, & vaporum ſpiritus pervenire poſſunt, milliaria dumtaxat quinquaginta duo, vel circiter ei aſſignant. Alii non includunt illis terminis aerem, ſed ultra quam aſcendere poſſint exhalationes, atque negant conſtare quanta ſit illius profunditas. Quod dentur montes infra ſupremam aeris regionem negari non poteſt: nam Simon Majolus ex celeberrimis auctoribus eruit, dari montes altitudinis mille paſſuum quinquaginta. D. Parens de gen. cont. man. c. 15. & lib. de gen. ad lit. imperf. 1. 12. alibique, inquit, Olympum in Macedonia excedere totum iſtum aerem humidum, ut nec aves eo pervolent, nec ibi diu vivere homines poſſint, niſi mediis madefactis ſpongis, craſſiorem ſpiritum ducent. Huic monti Plutarchus a'

N ti-

titudinem tribuit mille ducentorum quinquaginta paſſuum. Recenſendi pariter ſunt Athas, Caſius, & Pelion.

Quadraginta annis proximus fui. Pagn. vertit „ faticavi cum generatione hac “. LXX. „ oſtenſus fui “, ita Aquila, & Symm. D. Hier. vero „ diſplicuit mihi “. Quæ in principio poſuimus, ſecundum gallicanum pſalterium ſunt, Tom. pſ. & vetus. Bartholomæus Botta, ſic ſe expreſſit,

Unde quaterdenis toties oſtenſus in annis:
Mirum quo pacto proximus aſtiterim.
Et licet iſta mihi generatio diſplicuiſſet,
Attamen in donis officioſus eram.

PSALMUS XCV.

ARGUMENTUM.

Ad laudandum Deum in Sion omnes invitat propheta.

TITULUS.

Quando domus ædificabatur poſt captivitatem, canticum ipſi David. LXX.

℣. 2. ET. Tam Hebræi, quam Græci reticent.

℣. 10. QUIA DOMINUS REGNAVIT. τὸ quia in textu hebraico non legitur.

℣. 12. QUÆ IN EIS SUNT. Græcorum aliqui SUNT haud habent.

ANNOTATIONES.

SIne titulo apud Hebræos, & D. Hier. Schol. habet „ ſine inſcriptione apud „ tres illos, interpretes intellige, & in quinta, & in ſexta “. Sic etiam Theodoretus.

Rab. Salomon ſcripſit, præſentem pſalmum de futuro loqui nempe, tempore Meſſiæ & tunc excellens ac nobiliſſimum ædificabit templum ubi hæ ſunt cantandæ laudes. Interea modulationem diſcant Judæi.

Cantate Domino canticum novum. Hic a Paraphraſte additur אנגלי מרומא anghele metoma, angeli ex elſi: quod advertendum eſt, uti voce græca *anghele.*

Omnes Dii gentium dæmonia. D. Hier. „ Dii populorum Sculptilia “. Heb. אל ילים elolim idola fraus; Symm. „ non ſuſſiſtentes “. Aquila „ ficti “. Per contemptum enim Dii ſeu Deiculi vocantur.

Commoveatur a facie ejus. Hier. paveat „ Heb. eſt חילו chilu, cujus intima „ vis eſt, crucietur mote parturientis “. Aquila, Symm. & Theodoretus „ parturie „ a facie jus “.

Quia Dominus regnavit. Apud D. Parentem, Arnobium, Caſſiodorum, Tertullianum, vetus pſalterium & Romanum *regnavit a ligno* legitur. Salmeron, & Agellius putat, hebræos nomen עץ hhets mutaſſe hoc eſt *lignum*, *in* אף aph, *etenim*, quod quidem non ex malitia, ſed incuria. Rickelius vero docet additionem illam ab aliquo interprete factam eſſe LXX. verbum illud retioent, forſan ex ſpeciali divina inſpiratione. In hebraicis exemplaribus non extat. Theodoretus ex Symm. explicat „ regnavit, & ſtabilivit orbem terræ immobilem “.

PSAL-

PSALMUS XCVI.

ARGUMENTUM.

Noviſſimi judicii, ac divini judicis hic pictura exhibetur, patet ex epiſt. ad Heb. cap. 1. ℣. 6.

TITULUS.

Ipſi David cum terra ejus conſtituta eſt. LXX.

℣. 10. CUSTODIT DOMINUS. In hebræo τὸ Dominus redundat, ex cujus poſitione latini binas fecerunt periodos.

QUæ in ſuperiori titulo lecta ſunt, in textu hebræo non extant; in codicibus complutenſibus, & regiis exprimitur „ ſine titulo apud hebræos ". Apollinarius verba illa ita declarat

Suam quando accepit terram.

Baſilius, & Theodoretus defendunt, inſcriptionem illam a LXX. poſitam eſſe, minime vero a Propheta, nam ille univerſi orbis reſtitutionem, non Judææ ſolum prædixit. Sic etiam Euthymius ſentit, qui ſub nomine David Chriſtum intelligit, per quem in univerſam terram redemptio, ac ejus reparatio pervaſit.

Exultet terra. Ita hebræus, ſed Tertullianus, & tres manuſcripti Vaticani, quos Pamelius citat, legunt „ exultavit terra ". Verum ab aliquibus tuetur, errorem irrepſiſſe in hujuſmodi lectionem.

Latentur inſulæ multæ. Per hæc intelligi poſſunt Indi Oceanum habitantes, vel omnes regiones, ad quas non poteſt facillime iter ex Judæa ſine navigio inſtitui, ſive ſint in mari, ſive in continente, ſicuti paſſim ſcriptura *inſulas* appellat. Quæ quidem lætitiam receperunt ob Evangelii prædicationem.

Caligo ſub pedibus ejus. Verbum ערפל hhanaphel denſas tenebras, nubemve caliginoſam oſtendit.

Lux orta eſt juſto. Sicuti in textu legitur זרע zarahh, ideo non nulli verterunt „ lux ſeminata eſt juſto " ex quo major exprimitur emphaſis.

PSALMUS XCVII.

ARGUMENTUM.

De Chriſti regni æternitate, ac mundi reparatione per ipſum hic vaticinatur Propheta.

TITULUS.

Pſalmus. Heb.
Pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 3. Misericordiæ suæ. Ex græcis nonnulli addunt verbis illis Jacob quod neque in hebræo, neque in nullo alio interprete adinvenitur.

℣. 7. Orbis terrarum. Sic latini legunt, hebræi vero τὸ Terrarum relinquunt.

ANNOTATIONES.

APud hebræos in inſcriptione ſolius David nomen eſt, cetera relinquendo. Quoad ſenſum præſentis pſalmi attinet, Tervetus literalirer pro ſalute accipit, quam David populo ſuo atrulit, cumque illum ab Egypriorum ſervirute liberavit, quæ quidem opinio Judæi Herbani eſt, uti conſtat in diſputatione Gregentii contra illum. Addo, quod omnes hebræi, ſicut Lyranus docer, de Meſſia hunc pſalmum interpretantur adhuc venturo, qui cum venerit mirabilia eſt operaturus.

Mirabilia fecit. Domen נפלאות nipſaot talia demonſtrat opera, ut in unoquoque eorum peculiaris admiratio excitetur. Ideo Cajetanus vertit *ſeparata* quatenus quod innuimus, præſtanr.

Domus Iſrael. Obſervandum eſt, quod error in lectione reperitur translationis Hier. apud Fabium, in qua habetur pro Iſrael Jacob: nam in hebræo etiam in antiquis impreſſis, in ceteris tranſlatoribus, & linguis *Jacob* extat. Idem aſſerit Gulielmus Sceprerus qui ita legir in Bibliis græcis Complutenſibus Regiis, & Sixtina emendata: & quamvis promiſcue in ſcripturis nomen Iſrael, & Jacob accipiatur, tamen hoc in loco Jacob legi debet.

Cantate, & exultate פצחו piſtchù vociferationem maximam innuit, laudemque cum fragore emittere. Hier. & D. Parens habent „ vociferamini ". Verum tamen ignoratur, utrum fragor ipſe ſit cum modulatæ vocis contentione, aut plauſus manibus, vel ſola vocis contentio, quæ vocatur *aſſa vox*; plures hunc recipiunt ſenſum. Hic curſim obſervare liceat quindecim dari cantica quiudecim pſalmis gradualibus reſpondentia.

In tubis ductilibus. Simpliciter apud hebræos eſt חצצרות chatſorſerot, nempe, tubis; unde additum videtur epithetum *ductilibus*. Hæ tubæ ex puro argento effectæ erant, non vero ex alio metallo, ſic Joſephus 3. antiq. cap. 11. vel 15. & Suidas; apud eos formam, & uſum legimus.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS XCVIII.

ARGUMENTUM.

Ad adorandum Deum, ac ſacrificiis honorandum omnes exhortantur.

TITULUS.

Pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 8. Tu propitius fuisti. tu Transl. addiderunt emphaſis gratia. Ulciscens in omnes adinventiones. Vulgatus omnes legit quod hebræus reticet.

ANNOTATIONES.

IN hebraico textu nulla extat inſcriptio ex quo Jacobus Faber eruit, præſentem pſalmum in deſerto compoſitum eſſe ab Aſaph, qui de Samuele in eo prophetavit. Theodoretus, & Baſilius demonſtrant, hic typum exhiberi reditus de captivitate Babylonica, cum populus hebræus formam regni iterum receperunt; ſimul vero intelligunt prædici cum adventu Chriſti eorum incredulitatem. De hac liberatione Trevetus, & Cajetanus interpretati ſunt.

Iraſcantur populi. Videtur verbum ירגזו irghezu proprie denotare *contremiſcant populi.* Significat etiam commoveri non timore tantum, ſed etiam ira. *Moveatur terra.* Clarius D. Hier. vim verbi expreſſit dicens „ concutiatur terra ".

Et honor regis. Hebræis eſt עז hhoz id eſt, fortitudo regis: revera Symm. ſic vertit „ fortitudinem rex judicii diligit ". Aquila „ imperium regis judicium dile„ xit ". Hier. Trevetus Faber, victor abſque copulativa particula legunt „ impe„ rium regis judicium diligit ". Illa autem particula in hebraicis adeſt, & in regiis bibliis, teſte Lorino. Cyrillus Alex. „ & honor regis judicium diligere ".

Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus ejus. Licet de Aaron ſacerdotio haud dubitetur, attamen de Moſe controvertitur. Defendi poſſe videtur altiſſimi ſacerdotem extitiſſe, nam fratrem ſuum Dei juſſu in ſacerdotem ſacravit quod minime præſtitiſſet niſi & ipſe ſacerdotio inſignitus eſſet. Levita, & ex tribu Levi erat ex qua ei ſumebantur qui divino cultui dicandi erant, ita D. Parens tradit. Neque populi vota coram Deo obtuliſſet, neque pro populo ante Dei altare oraſſet, ſicuti Caſſiodorus obſervavit. Ipſe pariter cum Aaron ſacerdotalibus indumentis Domini adventum prædixit, ut vult Hieronymus, ſacerdotis nomen quandoque magnum, principemque virum oſtendit, ut cum filii David ſic appellantur, 2. Reg. 8. 18. licet de tribus Juda; & ſic docet Euthymius, qui illum legiſlatorem vocat, fratremque inter ſacerdotes primum. Trevetus autem non fuiſſe adfirmat atque admonet, nos cum diſtinctione *Moſes* legere, deinde poſt virgulam indicantem ſeparationem dignitatis, & *Aaron in ſacerdotibus*, ita ut Aaron conveniat eſſe ſacerdotem, non Moſi. Quæ quidem obſervatio allatorum Patrum momenta minime deſtruit, ſi inſuper addimus, quod ille religionis quæſtiones definiebat, munera offerebat, fœdus ſanguine ſanciebat, principum oblationes in tabernaculo excipiebat, veſteſque conſecrabat, & filios quoque Aaron ſacerdotio initiabat. Neque audiendi ſunt hebræi aſſerentes vicem ſacerdotis exegiſſe peregrinationis tempo-

po-

pore, cum Philo ſacerdotem vocet aſſolute in ejus vitæ libris „ hujuſmodi fuit „ vita, obituſque Moſis regis, legislatoris, vatis, & Pontificis ". Ita eum appellant Melchiades d. 88. c. decrevit. Damaſus ep. 4. Leo ep. 83. vel 86. Magiſter ſententiarum 4. d. 19. Ambroſius ep. 82. vel 25. ibi enim de Eleazaro loquendo ait, ſacerdotem a ſacerdote conſecrari debere. Item Rabini, Jonathas, Joſe, Joſua, Berechia, Abenezra, qui eum appellant ſacerdos ſacerdotum כהן הכיהנים cohen haccochanim. Abulenſis docet, Moſem ſacerdotem fuiſſe ſpeciali Dei privilegio: item nec magnum, nec minorem ſacerdotem abſolute dicendum, ſed poteſtatem illi ad hoc tributam a Deo, quoniam erat ſacerdos unctus oleo inviſibili. Sed quando ſacerdotes conſecrati ſunt, & miniſtrare cœperunt ei non licuiſſet miniſtrare, cum ipſe in defectu aliorum miniſtraret: hoc, inquam, quam Abulenſis ſcribit, ſecundum alia membra concedi poteſt, quamvis de nomine magno, & ſummi ſacerdotis non negarem, tamen numquam deſit eſſe ſacerdos, & quod ei extraordinarie a Deo conceſſum fuit, poſt ejus obitum ordinarium extitit in ſummis ſacerdotibus ex familia Aaron. Hæretici nulli faciunt allatas rationes, quia ſacerdotem Moſem admittere nolunt, ne ex primatu, quem geſſit in ſpiritualibus, deducamur eum eſſe in ſummo Eccleſiæ Catholicæ Pontifice: at de hoc Melchiorem Canum, Bellarminum, Greſſerum, alioſque permultos vide, cum noſtrum non ſit de his agere. Unum tandem eſt, ut quotieſcumque Moſes, & Aaron una ſimul nominantur, priore loco Moſem poni aſpicimus, licet ætate minorem, quia dignitate fulgebat non politica tantum, verum etiam eccleſiaſtica.

PSALMUS XCIX.

ARGUMENTUM.

Hortantur omnes ſemper in gratiarum actione permanere.

TITULUS.

Pſalmus pro laude. Heb.
Pſalmus in confeſſione. LXX.

℣. 3. Et non ipsi nos. Hebræus habet non nos, ideoque illud ipsi transl. addiderunt.

ANNOTATIONES.

Hebræis inſcriptio eſt לתודה letodah pſalmus confeſſioni, quam Faber, & Victorius ex Hier. „ in confeſſione verterunt ". Apud Trevetum reperitur „ canticum in gratiarum actione ". Paraphraſtes „ laudatoria pro ſacrificio „ confeſſionis ". Lyranus, & Valentia „ ad confitendum ". Auctores modo citati nil aliud intelligunt *pro confeſſione* quam quoddam ſacrificii genus in gratiarum actione poſitum. Euthymius refert Codices Complutenſes, & Regios etiam hæc continere verba, nempe, *ipſi David.* Thalmudiſtæ docent, quod in Chriſti adventu omnes ceſſabunt oblationes, excepta תודה hoc eſt, laus, aut confeſſio. D. Parens Auguſtinus hunc parvum pſalmum vocat, ſed magnarum rerum repletum.

In-

Introite in conſpectu ejus in exultatione. Pſalm. vetus, & Rom. Aug. Arnobius, Caſſiod. Chryſol. vertunt „ intrate “. D. Hier. „ ingredimini coram eo „ in laude “. Aquila „ in laudatione “. Symm. „ cum fauſta acclamatione, ſeu „ benedictione “, ita importat verbum רננה renanah.

Et non ipſi nos. Hier. interpretatus eſt „ & ipſius ſumus “. Legunt forſan pronomen tertiæ perſonæ, quod eſt לו lo, & aliquoties pro א aleph inſcribitur, tamen legi aliter debet, nempe, priſtino modo, & ſic לא lo *non* ſignat, לו lo ſic ſcriptum *ei*. Richardus Cenomanus fatetur, ſe in editione Hiſpanenſi לו lo pronomen inveniſſe. Symm. habet „ ipſe fecit nos, cum non eſſemus “. R. Kimki declarat dici poſſe juxta hebræum *& non nos*. Apollinarius

Ipſe fecit nos, neque nos ſufficientes ſumus.

PSALMUS C.

ARGUMENTUM.

Juſti principis ideam hic David exhibet.

TITULUS.

Ipſius David pſalmus. Heb.
Pſalmus ipſi David. LXX.

℣. *6.* Oculi mei ad fideles terræ. Aliqui ex græcis habent „ oculi mei in fideles terræ, conſidere ipſos mecum “ quod depravatum eſt incuria librariorum, aut ammanuenſium.

ANNOTATIONES.

HÆc inſcriptio nomine Davidis exhibita & in hebræo, & in tranſlatione D. Hier. exiſtit. In aliquibus impreſſis latinis legitur „ quarta ſabbati “ de qua additione ait Theodoretus „ quædam exemplaria habent quarta ſabbati, verum neque apud hebræum, neque apud alios interpretes, neque „ apud ipſos LXX. hanc additionum invenimus “. Aliqui ex latinis cum Hebræis volunt, David hunc ſcripſiſſe pſalmum, quando firmatum ſe vidit in regno ſuo, juxta illud reg. 5. „ & cognovit David, quoniam confirmaſſet eum „ Deus regem ſuper Iſrael “.

Et Intelligam in via immaculata. S. Hier. ſine conjunctione, qua textus hebraicus caret, legit „ erudiar “. Alii prudenter agam, attentus ero in via perfecta Theodoretus ex Symm. „ conſiderabo viam immaculatam “. Notandum eſt, quod intelligere in via, ſeu in aliquo, pro intelligere aliquid ſumitur hebraiſmus elegans eſt.

Declinantem a me malignum non cognoſcebam. Simpliciori modo ſe exhibet heb. רע לא ארע rahh lo edahh, *malum non cognoſcebam*. Ita etiam D. Hier.

Et inſatiabili corde. Verba ררבלבב rechav levav D. Hier. vertit „ latum „ corde “. Nonnulli „ arrogantis animi hominem, vaſti cordis “, qui nulla re impleri poteſt, innumera ſæpe appetit, ſemper anhelat præ tumore, & inflatione ad majora, honores, nempe, vel divitias, aut voluptates.

Qui

Qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum. Vetus pſ. D. P. A. Proſper legunt „ loquens “. D. Hier. „ loquens mendacium non placebit in „ conſpectu oculorum meorum “ vis eſt hæc hebraicæ dictionis. Apollinarius

Neque mihi, ſeu, meis habitabat in domibus ſuperbus vir
Neque iniquum, qui loquitur meorum in conſpectu veniebat oculorum.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Mane Hier. vertit hebraicum nomen לבקרים labekarim, quod plurale eſt & in hoc numero legerunt vetus pſ. ac Rom. D. Parens, Arnobius, Caſſiodorus, Ambroſius, Grægorius dicentes „ in matutinis “. In qua dictione ſolicita cura commodaque occaſio demonſtratur.

PSALMUS CI.

ARGUMENTUM.

Anguſtiis undequaque preſſus apparet Propheta, ideo divinum implorat adjutorium, & ut Jeruſalem, Templumque reſtauratum intueatur orat.

TITULUS.

Oratio pauperis, quum anguſtiis afficietur, & coram Jehovah effundit orationem ſuam Heb.

Oratio pauperi, cum anxius fuerit, & coram Domino effuderit precem ſuam. LXX.

℣. 14. Tu exurgens Domine. *τὸ* Domine in latinis redundat.

℣. 15. Et terræ ejus miserebuntur. Hebræus habet עפר hhafar pulvis, pro terræ.

℣. 26. Tu Domine. A translatoribus additum.

ANNOTATIONES.

HIc quartus enumeratur pſalmus, qui hanc præſefert inſcriptionem „ Oratio „ pauperis “ cum hoc diſcrimine, quod in tribus prætermiſſis auctoris nomen elucet, minime tamen hoc in loco. D. P. Auguſtinus Davidi tribuit, atque deprecatoria oratio apparet illius vel in perſecutione Saulis vel Abſalon. A Baſilio, Theodoreto, Chryſoſtomo tuetur de Babylonica ſervitute hic agi. Vocatio pariter gentium hoc in pſalmo clareſcit id, quod Euſebius, Didymus, latinique fere omnes aſſerunt, aque D. Paulus eodem utitur ad elocutionem de Chriſto Domino Heb. 1. 10. 11. 12.

Per pauperem is intelligendus eſt qui quacunque de cauſſa egens exhibitur, ſive opibus, ſive divino auxilio, at in hoc ſenſu hic accipi debet *cum anxius fuerit.* כי־ישטף chi iahhatop hæ quorum verborum vis eſt, cum animi mœrore cruciatur, ſeu afflicto erit animo. R. Kimki animadvertit hoc loco preces multiplicare David toto corde, cordiſque contritione quod facit correptus gravi anguſtia. Tandem de eo dicitur, qui ita ab anguſtiis obruitur, ut & ipſe quid faciendum ſit ignoret, præter quam ſe convertere ad Deum.

Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Nomine cremii voluit, qui hoc formavit vocabulum, illud ſignificare, quod ex concrematione torridum remanſit; ita ſaltem ex variis apparet lectionibus: Theodoretus „ torre aridum “. Aquila oſ-

Digitized by Google

„ oſſa mea ſicut cinis obriguerunt “. Symmacus „ Et oſſa mea ſicut incendium, „ torres facta ſunt “. Pagn. τὸ מוקד moked *focus* vertit. D. Hier. „ Et oſſa mea „ quaſi frixa contabuerunt “.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis. Pelicanus hebraice קאה Kaah quem vocant onoclotalum, aut monedulam, aut cuculum, aut mergulum, videtur oriri a radice קאה Kaah, ut probare contendunt hebræi, quæ evomere demonſtrat. D. Pater ſcribit, in ſolitudinibus Nili naſci; aliique tradunt, percuſſione roſtri filios occidere ſuos, illoſque in nido ponere, ac per triduum deflere: deinde matrem ſeipſam graviter vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper natos ſundere, quo illi ſuperfuſi reviviſcunt. Caſſiodorus ægyptiam vocat avem, non gregalem, ſed ſolitariam, ciconiæ corporis magnitudine conſimilem. Cajetanus vero adfirmat, avem eſſe naturali macie ſemper afflictam, quia tenſo inteſtino per viſcera, quidquid cibi accipit ſine aliqua diſcotione tranſmittit, & ex hac actione קאה vocata fuit, nempe evomens; unde contigit, ut adipe proprio minime ſarciatur, quia parvulo ciborum ſucco reficitur. Duplex eſt genus unum habitantis in ſtagnis, alterum in deſertis locis. Arnobius ſolummodo ſolitariam cognoſcit, & venenatis veſci cibis aſſerit. Bruno refert, quod iſtius avis pulli mox ut incipiunt veſci, utrumque percutiunt parentem, viciſſim vero a parentibus repercuſſi, necantur; tertia die mater incumbens in eos, latuſque roſtro aperiens ſuum, inſtillato ſanguine ſuſcitat. Obſervandum occurrit, quod Pierius ex aliquibus ægyptiacis ſcripturis eruit, pellicanum igni, quem circa pullorum nidum venatores excitant, pro illorum incolumitate ſe tradere, ac ibi potius mori, quod alteram agitatione flammam accendat magiſcum reſtringere velit, quam diſcedat. Addunt inſuper, quod vorata oſtrea, illico evomit, ut venter calore hiſcentibus illis, piſcem extrahat. Tandem afferam Georgii Piſidæ jambum, quem Federicus Morellius vertit cum toto poemate de opificio mundi, quamvis de pelicano aquatili ſermonem inſtituat:

Quis lanceæ inſtar ora pelicanis dedit
Inſtructa miris, maximiſque ſpiculis?
Atque his hiatum pandit omnivorum, ut ilem
Ad tot rapinas piſcium, quos glutiunt?
Jam quali acumine præditi hi ſunt alites,
Dum comprimunt conchas ſimul cum tegmine,
Dein arte ſubtiliſſima illas dividunt.
At enim cohærentes ſibi teſtas bene
Cum neſciant ſolutione frangere
Conchas relaxant in calorem viſcerum.
Sic concoquendo dura teſta ſolvitur
Fervore mollitis repente carnibus.
Ac protinus nexus ſolutos evomunt;
Prædantur, & nudo eſculenta prælio,
Teſtacei ſcuti privata tegmine.

Simili ratione de hac Ariſtoteles, Cicero, & Plinius loquuntur. Verum mira, ac peculiaria ſunt, quæ de pelicano prædicantur, quibus credulitas mea ſociari nequit.

Sicut nycticorax in domicilio. Pluris ſignificationis eſt hebraicum nomen כוס cos, corvus nocturnus, bubo, noctua, veſpertilio, & oritur a radice כוסה cuſah, quod interpretatur *tectus eſt* quatenus hominum aſpectum, lucemque fugiat. D. Hier. teſtatur, Symmacum *Upapam* vertiſſe. Sexta editio „ noctuam “. R. Kimki ſcribit, avem eſſe immundam ignotam tamen. R. Salomon *falconem* vult.

Digitized by Google

Qui laudabant me. In vulg. per antiphraſin ſunt hæc verba exponenda: hebræus in obvia ejus ſignificatione habet מהוללי בי meholalai bì, inſanientes in me, deludentes; Hier. „ exultantes per me jurabant“.

Reſpexit in orationem humilium. Metaphora uſus eſt Vulg. nam in textu aliam inſpicimus interpretarionem „ reſpexit adorationem juniperi, virgulti“, quæ nomina humilia, ac nullius honoris ſunt. D. Hier. „ adorarionem vacui“: quod explicat Trevetus de populo in ſervitute rerento, qui rege, regno, potentia, gloria ſolita vacatus erat. Hebraica vox ערער hharhhar: R. Kimki vertit *junci genus*; quæ mox attulimus intelligens.

PSALMUS CII.

ARGUMENTUM.

Fatetur auctor ſe innumera beneficia a Deo accepiſſe, ideoque Angelos, hominesque cum ipſo ad gratias illi reddendus invitat.

TITULUS.

Ipſius David. Heb.
Ipſi David. LXX.

Ꝟ. 11. Corroboravit misericordiam. Nonnulli ex græcis impreſſis addunt Domine.

ANNOTATIONES.

IN Bibliis Regiis, & complutenſibus, teſte Lorino, additum adinvenitur *pſalmus* David. Et apud Theodoretum *halleluja* legitur, ſed a quo nam fontem hauſerit ignoratur.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus ſuis. Hebræus habet הסלח haſelach, remittens omnia peccata. D. Parens, Arnobius, Caſſiodorus, & Proſper legunt „ qui propitius ſit“.

Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo. Verbum עברה hhaberah denotat tranſire cum quadam percuſſione. Symm. „ quoniam ſpiritus pertranſiet ipſum“. Aquila „ avolabit“.

PSALMUS CIII.

ARGUMENTUM.

Laudibus extollitur Deus ob mundi gubernationem.

TITULUS.

Ipſi David. LXX.

℣. 7. A VOCE TONITRUI TUI FORMIDABUNT. Olim latini τὸ TUI non habebant, additum poſtea ex hebræo, & græco: ex ejus enim defectu ſententia obſcurabatur.

℣. 10. PERTRANSIBUNT AQUÆ. Aquæ hebræus reticet.

℣. 16. ET CEDRI LIBANI. In textu ET non extat, optime vero appoſitum a translatoribus eſt diſtinctionis cauſſa.

℣. 25. MARE MAGNUM, SPATIOSUM MANIBUS. Aliqui ex græcis MANIBUS non habent; verum ex hebraica, & Theodotionis editione in LXX. ſub aſteriſco additum eſt.

ANNOTATIONES.

IN exemplaribus hebraicis nulla extat inſcriptio, ex quo nonnulli exiſtimarunt præſentem cum præcedente copulari debere, quos tamen Lyranus refellit. In aliquibus complutenſibus, ac regiis Bibliis hic titulus exaratus eſt „ pſalmus David pro mundi commendatione“.

Animadvertit Rickelius, in præſenti pſalmo Prophætam ſe exhibere theologum maximum excellentemque philoſophum, quod ei accidit ex peculiari divina diſpenſatione. Vocatur ab Eugubino pſalmus hic *divina philoſophia*.

Inter medium montium pertranſibunt aquæ. Fontium originem hic Propheta indicat, unde in valles defluant interjectas inter ipſos, & exinde longius, per derivatos fluvios. Ait enim Iſaias 41. 18. „ Aperiam in ſupinis collibus flumina, „ & in medio camporum fontes: ponam deſerta in ſtagna aquarum, & terram in- „ viam in rivos aquarum“. In montium cavernis frigidis aeris copia exiſtit, & ex pluviis nivibuſque colata aqua deorſum, ita ut ſemper, ſi mihi hoc loqui liceat, collacrymentur, ibique decidant non intermittentes guttæ, non ſecus, quam cum ſuper terras incumbant nubes; Inde oriuntur fontes temporis progreſſu. Plura de hac re addi poſſent, ſed noſtrum non eſt philoſophicas tradere abſolutas notiones.

Herodii domus dux eſt eorum. Non una eſt expoſitorum, ac translatorum ſententia de hebraici nominis ברושים beraſcim ſignificatione, D. Hier. vertit „ milvus“ ita & Symm. Alii „ ciconia“. Aldovrandus vult noctuam, aut veſpertilionem eſſe. Pineda „ falconem“. Prædalem avem nonnulli appellant. Quid re ipſa ſit, difficile determinare eſt. Tria ſunt herodiorum genera, album, ſtellatum, nigrum, quod ſanguinarium eſt, & ad coitum impatiens, ſemper in ſepulchris, aut humano in ſtercore commorans: in excelſis nidificat arboribus.

Glycas n. 1. p. annal. contrarium ſentit, ſcribit enim, herodium tanta pollere caſtitate, ut cum ad coitum acceſſurus eſt, diebus quadragintá mœret, nam avis eſt in mœrore, ſi quando neceſſitate ſic exigente, mutuam ad conjunctionem perturbatur.

Draco iſte, quem efformaſti ad illudendum ei. Hier. habet „ Leviathan iſtum „ plaſmaſti, ut illuderet ei “. Treverus „ ut illuderet in eo “. Lyranus „ ad lu- „ dendum in eo “. Cetum marinum per לויתן leviatan intelligunt translatores. Hebræi tradunt, piſcem ſingularis magnitudinis eſſe, ac in principio mundi maſculum, & fœminam creavit Deus, qui poſt prandium cum maſculo tribus ludebat horis quotidie: at ſapientia ſua maxima prævidens ex eorum multiplicatione navigationem impediri, fœminam occidit, ſaleque conſperſit, tanquam peculiare cibum juſtis poſt mundi finem reſervatum. Læti, ac hilares moriantur Judæi habent enim poſt eorum diſceſſum, & ante corporum reſurrectionem paratum prandium. Thalmudiſtas hic minime refutare contendimus, verum primo intuitu quiſquis attingit, quantum a ſanctitate ſcripturæ illorum traditio ſit aliena. Iſidorus autumat, *leviatan* genus eſſe piſcium tam ingentium, ut montibus æquale videatur qui ex amplo ceti Jonæ confirmat. De hiſce animalibus marinis incredibilis fere magnitudinis mentionem faciunt Plinius, Dionyſius, Strabo, Solinus, Jaunes Bochius, qui ſe affirmat oculatum teſtem extitiſſe. Alii tradunt ſæpe naves cum vectoribus ab hiſce animalibus abſorbeantur, ſic Dionyſ.

Deficiant peccatores. Vehementiorem ex hebræo habemus emphaſin, יתמו itammu *conſumentur.*

In hujus pſalmi fine hallelujah הללו-יה reperitur quod in omnibus hebraicis codicibus habetur. In textu pariter illud in fine, & in principio ſubſequentis cantici exaratum aſpicimus.

PSALMUS CIV.

ARGUMENTUM.

Ob Ægypti liberationem invitat Propheta ad laudandum Deum.

TITULUS.

Alleluja. LXX.

℣. 16. Et omne firmamentum. τὸ Et tam hebræus textus, quam græcus haud legunt.

℣. 27. Prodigiorum in terra. In terra ejus addit græcus.

℣. 33. Contrivit lignum. omne lignum apponitur a græcis, quod ſuperfluum videtur.

℣. 42. Quod habuit ad Abraham. quod habuit hodiernus hebræus reticet, olim habebat.

ANNOTATIONES.

Jam vidimus, hebraicum textum in fine præteriti, non in principio præſentis *alleluja* ponere. Ex D. Hieronymi prologo ſuper iſtum pſalmum erudimur, pri-

primum eſſe ex illis, quis *allelujatici* vocantur. Viginti enim pſalmi ſunt, in quibus laudatio illa poſita, atque Caſſiodorus, cur ita ſit ignorat: forſan quia Dei excelſa enumerantur opera, ideo laudandus. Conſtat ex חללו halelù & יה jah, nempe, *laudate Deum*. Latini græci imitati ſunt, aſperum relinquentes ſonum literæ ה h cum mappik. Illud appellat Hieronymus carmen muſicum, etiam ruſticorum. Ex hiſtoria tripartita eruitur, quod cum diruendum eſſet Serapidis templum juſſu Theodoſii, Olympius philoſophus, januis adhuc clauſis, decantatum audivit *hallelujah*, ex quo quid futurum eſſet cum cognoviſſet, clam aufugit. Barſamas refert, ſua ætate *hallelujah* etiam in defunctorum officio decantari. Ipſa hebraica dictio, cum aliis *Oſanna*, *Amen*, *Abba*, *Racha*, *Ephod*, retenta ſunt, tum ne primum ex Judæis congregata Eccleſia, quidpiam ad credendum ſcandalum, innovaret: deinde, ait Hier., non potuiſſe ſemel ſuſcepta mutari, tum propter ſanctiorem auctoritatem, tum quia non ita commode transferri potuerunt: demum ut habetur in Apoc. 19. 1. quia in Cœlo Angeli id cantare auditi ſunt.

Annuntiate inter gentes opera ejus. Hebræus majorem vim exprimit, הודיעו hodihhu, cognoſcere facite populis. Hier. „ notas facite ". D. Parens „ evangelizate ".

Et non exacerbavit ſermones ſuos. Difficultatem præfefert nimiam ſententia præſens ob variam lectionem Hebræis eſt ולאמרו את רבריו velomaru eth-de varau, quæ verba Hieronymus vertit „ & non fuerunt increduli verbis ejus ": ita & Symm. Agellius aliam hebraicam lectionem affert „ & non lumen exacerbavit ſermo-
„ nes ejus ". Sexta editio „ & exacerbaverunt ſermones ejus ". Apollinarius

Ipſi vero verborum moliebantur contraria acerba Dei.

Vetus pſ. & D. Parens „ exacerbaverunt ſermones ejus ". Idem doctor teſtatur ubi addita eſſet negativa particula, vix duos codices potuiſſe reperire, viderique mendoſitatem propter ſenſum faciliorem abundaviſſe, cum nihil facilius intelligatur, quam quod dictum eſt „ exacerbaverunt ſermones ejus ". In pſal. Rom. ac apud Caſſiodorum ſine conjunctione, & negatione legitur „ quia exacerbaverunt ſer-
„ mones ejus ".

Quod diſpoſuit ad Abraham. Plus ex hebræo כרת carat, quod eſt, promiſit pepigit cum juramento.

Non reliquit hominem nocere eis. Malum exprimit actum verbum עשק hhaſciak calumnia, violentia.

Et dolum facerent in ſervos ejus. Dictio נכל nacal non dolum abſolute innuit ſed ipſam præparationem mali & inſidiæ.

Et ciniphes. Pediculi, culices. Apud Aldovrandum videre eſt horum animalium deſcriptionem, & naturam in opere de inſectis. Hominis ſanguinem maxime ſitit, ſed ejus crudiorem partem, & ad putredinem vergentem, ut puſtulæ, quas relinquunt, indicant. Herodotus ſcribit, Ægyptios, & Alexandrinos ab illis maxime inſectari. Pauſanias in Achaicis, & Ælianus aſſerunt, quod propter multitudinem culicum, habitatores Myontis Joniæ civitatis, & Atharnenſis, juxta Pergamum Aſiæ, illas derelictas reliquerint.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CV.

ARGUMENTUM.

Divinam miſericordiam prædicat Propheta erga peccatores Hebræos, ac ut in patriam illos diſperſos reducat deprecatur.

TITULUS.

Hallelu-Jah. Heb.
Alleluja. LXX.

℣. 7. Non fuerunt memores. Græcus addit Et, quod redundans adjudicatur ab expoſitoribus.

℣. 13. Et non sustinuerunt. Tam hebraicus textus, quam græcus τὸ Et reticent.

℣. 32. Et irritaverunt eum. Translatores addiderunt Eum declarationis gratia.

℣. 44. Et vidit cum tribularentur. Aliqui ex græcis habent Et vidit Dominus, quod redundat.

℣. 48. Fiat fiat. Unica legitur vice in hebræo.

ANNOTATIONES.

D. Hieronymus hanc tradit regulam, quotieſcumque in aliquo pſalmo bis *hallelu-jah* ponitur unum ad finem, alterum ad initium pertinere. In aliquibus codicibus præſens pſalmus duplici hallelu-jah inſignitur. De illo geminato loquuti ſunt Ugo, Aiguanus, & Rickelius.

Memento noſtri Domine. Quamvis parvi momenti ſit obſervatio ſubſequens, tamen quod viri præſtantiſſimi animadverterunt, ſequimur. In hebræo eſt זכרני zochereni *memento mei*; ſic vertit Hier. Aquila, Symm. Theodotio, quinta, & ſexta editio. Fieri potuit, ut LXX. ו vau pro י jod legiſſe.

Initiati ſunt Beelphegor. Hieronymus, Caſſiodorus, Arnobius, pſ. Rom. habent,, conſecrati ſunt". Verbum צמל tſamael ſignificat adhærere, copulari, conjungi, combinari, eodem veluti jugo necti quæ quidem ſignificationes ſacerdotibus, & illius idoli cultoribus competunt.

Non una eſt circa prædictam inanem deitatem ſententia. Theodorus, Baſilius, & Chryſoſtomus exiſtimant Saturnum eſſe, quibus conjungitur etiam Apollinarius in commentario. Chryſ. addit nomen Baal commune eſſe unicuique idolo competens. *Phogor* nomen eſt loci; inſuper illud idolum peculiariter *Bel* vocitant. A D.Hier. docemur, quod *Bel, Beel, Baal* commune idolum ſignat, nimirum, quod Belus primus Aſſyriorum Rex Nini filius, alii patrem faciunt, primus etiam Dei nomen a ſubditis acceperit. Beelphegor aut Beelzebub Deum muſcæ ſonat. Apud Euſebium cernitur, quod Polyſtor, & Euſebius ipſe Beelphegor idem faciunt ac Saturnum. Alii cenſent, ut Hier. Beelphegor Priapum eſſe quem maxima cum veneratione mulieres colebant, ob obſcæni magnitudinem, cum quo con-

confundunt idolum *Chamos*. Juxta etymon explicatur *ſentigines habere in ore* hoc eſt, in ſummitate pellem, ut turpitudo oſtendatur virilis membri. Iſidorus ſcribit, quod Belphegor eſt Priapus idolum Moab nomine propio Baal ſuper montem Phogor; *Bel* idolum Babylonicum, quod interpretatur *vetus*. Quæſtionem inſtituunt accuratam de ejus origine, & qualitatibus Gyraldus, & Villalpandus. Probabile nonnulli autumant, ex hebraica voce nonnihil detortam vocem Priapi oriri.

Stetit Phinees, & placavit. Majori vi ex hebræo קם Kom *ſurrexit* deinde ניפלל naipalel *judicavit* innuit: LXX. judicii effectum explicarunt, qui placatio eſt poſt vindictam: Apollinarius habet

Phinees autem precibus placavit Dominum,
Ille quidem orabat precibus vero cedebat peſtis.

Et fornicati ſunt in adinventionibus ſuis. Diſputat D. P. Aug. de iſtius dictionis ſignificatione, & ait, quoſdam de latinis non adinventiones, ſed ſtudia, alios affectiones, vel affectationes, alios voluptates dicere maluiſſe. Pſ. Rom. habet „ obſervationibus “. In hebræo eſt במעלליהם bemahhallehem *in operibus ſuis*. Elias Cretenſis *adinventiones* iſtas iis tribuit, qui diſſidiis gaudent, divinum timorem ex animis procul eiiciunt.

Et dicet omnis populus fiat fiat. Apud hebræos eſt אמן והלל ליהוה amen, vehallel laihovah amen, & laudet Dominum.

Finis libri quarti.

LIBER QUINTUS PSALMORUM SECUNDUM HEBRÆOS.

PSALMUS CVI.

ARGUMENTUM.

Ob varias admirabiles captivitatis liberationes, hortatur Propheta ad referendas Deo gratias.

TITULUS.

Alleluja. LXX.

℣. 20. ET ERIPIET EOS. τὸ Eos declarationis gratia a translatoribus additum.

℣. 29. ET STATUIT PROCELLAM EJUS IN AURAM. Nonnulli ex græcis hic aliqua ponunt, quæ ſuperflua ſunt, neque in antiquo hebræo leguntur: „ & conſtituit procellæ, & ſtatuit in auram “.

ANNOTATIONES.

DE duplici *alleluja* jam ſupra dictum eſt: Lyranus defendit, illud hic in principio collocari. In hebræo vero chaldæo, ac pleriſque LXX. exemplaribus non reperitur. D. Parens inquit, quod in aliquibus codicibus præponitur huic pſalmo duplex *alleluja*, quod tamen in collatis libris non eſt inventum.

Su-

Suſcepit eos de via iniquitatis eorum. Videtur LXX. אלם illem legiſſe, collegit, nempe, ſuſcepit: nunc in hebræo habetur אולים evilim ſtulti. Sic colligimur etiam ex Hier. verſione in qua legitur „ ſtulti propter viam ſceleris eorum “. Faber autem, Victor, & Trevetus in accuſativo ponunt *ſtultos*, ſed ſupplent verbum *redemit*, hoc eſt, ſtultos factos propter viam ſceleris in qua ambulabant.

Et ſtatuit procellam ejus in auram. Ex textu habemus יקם סערה לדממה jakam ſehharah lidmamah, *ſtare fecit turbinem in ſilentio*: mira eloquutio! LXX. leguut „ & imperavit “: ita & D. Parens. Aquila „ reſtituit turbinem in auram “. Symm. „ ſtatuente eo tempeſtatem in tranquillitate “. D. Hier. „ & ſtatim tempeſtas auræ cedit “.

Quid procella ſit ex Nyſſeno deſcribitur, ac definit violentum ventum, non recta via irruentem, ſed ſibi ipſi involutum obliquo turbine, qui quando tanta violentia in aquas irrumpit, mare quaſi maxima rupe injecta, ob gravitatem aeris ſub agitatum, neceſſario frangitur propter vehementiam ſpirantis venti, quocumque incumbat, & pondere ſuo inclinet impetus mole „ aquam undique ejectante “. Eadem tranſcribuntur ab Elia Cretenſe in or. 3. Naz. num. 14. & in 19. 10.

Vexati ſunt a tribulatione malorum. Clariori modo, ac emphatico ex verbis מעצר רעה ויגון mahhotſer mahhah, vaiaghon, humiliantur a tyrannide mala, & animi ægritudine, anguſtia. Symm. „ a conſtrictione mala “.

PSALMUS CVII.

ARGUMENTUM.

Super inimicos victoriam ſperat David.

TITULUS.

Canticum pſalmi ipſius David. Heb.
Canticum pſalmi ipſi David. LXX.

℣. 2. Paratum cor meum. Secundo repetitum loco non extat in hebræo.

℣. 3. Exurge gloria mea. Quod nec in hebræo, nec in nullo interpretum reperitur: quinquageſimi pſalmi verba ſunt.

℣. 4. Et psallam. Conjunctivam particulam græcus omittit.

℣. 10. Mihi alienigenæ amici facti sunt. Antiquus græcus depravatus eſt, legit „ alienigenæ ſudditi ſunt “, quod hebraicæ veritati contrarium apparet, ac apud omnes interpretes „ amici facti ſunt “ legitur.

ANNOTATIONES.

QUid ſit *canticum pſalmi* præteritis in titulis obſervabimus. Genebrardus exiſtimat, dici *canticum pſalmi* ſyntactice per duo ſubſtantiva ut ſublimitas, ac excellentia pſalmi demonſtretur.

Moab lebes ſpei meæ. סיר רחצי Sir rachtſi olla ablutionis meæ legit hebreus.

Uſque in Idumæam. Arabiæ provincia Idumæa eſt, ſic appellata ab Edom, ſive Eſau. Is in montibus Seir primum, deinde Horræorum perrexit: ipſius poſteri in Arabia Petrea erga Palæſtinam, & inter mare mortuum, & mediterraneum

man-

manſionem poſuerunt. Idumææ metropolis Beſſa fuit. Moabitæ, & Philyſthæi erant infideles omnino idololatræ.

PSALMUS CVIII.

ARGUMENTUM.

Proditori ſuo Doeg dira imprecatur David.

TITULUS.

Victori ipſius Davidis pſalmus. Heb.
In finem pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 23. Et excussus sum. Conjunctionis particulam tam hebræus, quam græcus textus minime legunt.

℣. 28. Qui insurgunt in me. τὸ in me additum a translatoribus.

ANNOTATIONES.

SOlummodo eſt animadvertendum, quod ſummus Pontifex Nicolaus in decreto adverſus violatores ejus inter ceteras execrationes, aliquos ex hoc pſalmo verſiculos recitat. Notat pariter Aiguanus, quintum ex illis extare canticum, in quo de Chriſti paſſione latius loquitur.

Deus laudem meam ne tacueris. Hebræis eſt אלה יתהלתי אל·תחרש eloeh tehillati al techeres, Deus orationis, laudis meæ ne taceas. Aquila „ Dee laudationis meæ “. Hier. „ Deus laudabilis mihi ne taceas “. Alii „ Deus laudis meæ, qui laudaris a me, de quo glorior “.

Nutantes transferantur filii ejus. Fortior apparet hebraica phraſis in ינועו בניו ונוע venoahh januhhù banau, & vagando vagentur filiis ejus. Hier. „ inſtabiles vagentur “. In pſ. Rom. Caſſiodoro, Ambroſio, & Nicolao Papa I. „ commoti amoveantur “. Martinus Papa I. in Synod. Later. „ commoti transferantur “. Hæc omnia patres Eccleſiæ intelligunt Judæis accidiſſe in deſtructione Jeruſalem, qui turmatim congregabantur, ac ſuper ſanctuarii cineres ululabant, & ſuper altare dirutum, & ſuper civitates quondam munitas. Illuc pretio militibus ſoluto gemebundus populus cum decrepitis mulierculis, ſenibuſque pannis, & annis obſitis conveniebant. Contra quos etiam Prudentius ſic cecinit,

.... extirpata per omnes
Terrarum, pelagique plagas tua membra fruentur.
Exiliis vagus, huc illuc fluitantibus errat
Judæus, poſtquam patria de ſede revulſus
Supplicium pro cæde luit: Chriſtique negati
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſalvit.

Scrutetur fænerator. Magis ex hebræo ינקש inakkeſc perdet, illa queet. Theodoretus ex Symm. „ concutiet exactor “. Alii verbum illud vertunt *perdet*. Apud Nebienſem pro *fæneratore fiſcum* legitur.

Compunctum corde mortificare. Apud hebræos eſt למותת lemotet, *ad interficiendum.* D. Hier. „ ut interficeret “. In pſalterio Romano, & Caſſiodoro „ morti tradidit “.

Et caro mea immutata eſt propter oleum. כחש משמן cachas miſciamen, macruit, aruit a pinguedine. Τὸ *propter oleum* Vulgat. intelligi debet, juxta expoſitores propter defectum olei, aut unctionis: unde Theodoretus ex Symm. vertit „ immutata eſt ab omiſſione unctionis“. Hier. „ abſque oleo“. Faber in vetere pſalterio recitat „ præter oleum“.

PSALMUS CIX.

ARGUMENTUM.

Meſſiæ, gloriam, regnum, ac ſacerdotium æternum canit Propheta.

TITULUS.

Pſalmus ipſius Davidis. Heb.
Pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 2. Virgam virtutis tuæ: tuæ græcus reticet, quod in hebræo & ſeptuaginta legitur. Dominare in medio: ex græcis aliqui habent „ & „ dominare“ quod revera neque apud hebræos, & LXX. extat.

ANNOTATIONES.

HEbræorum opinio minime tuenda eſt aſſerentium hujuſce pſalmi auctorem aut Melchiſedech, aut Eliezer extitiſſe, ſed ipſius Davidis vivida eſt eloquutio de Chriſti humanitate differens, teſtibus Apoſtolis Petro, & Paulo, præter çeteros Eccleſiæ Patres, præſertim Athanaſius, qui Marcellino ſcribens, hunc commendat pſalmum, ubi de Filii Dei nativitate æterna, aſcenſione, ac ſeſſione ad dexteram Patris eminentiſſime differitur. Immo & vetuſtiores Chriſto rabioi de ipſo ſunt interpretati, ſic R. Jonathan filium Oziel, & Joden, Moſes Hadarſan, Iſaac, Barachias; Quod ſi diverſimode ab hodiernis tuetur Judæis, id procul dubio evenit ob malevolentiam, ſtudiumque nequiſſimum Religioni Chriſtianæ contradicendi: quod ita ſit, ex verbis R. Salomonis elucet „ nos ob adver„ ſam religionem de David interpretabimur, licet de Meſſia ab antiquis noſtris ſit „ acceptus“.

Dixit Dominus Demino meo. D. Petri ad Hebræos concio legenda eſt, ut hujus loci ſenſus clareſcat. Unum addendum puto, quod tam in latina, quam græca lingua nullum nominum diſcrimen hoc in loco deprehenditur; in textu vero hebraico *Dominus* primo loco poſuit David ſic יהוה jehovah, ſecundo אדני adonai, ut aliquo modo Trinitatem perſonarum indicaret.

Tecum principium in die virtutis tuæ. Diverſimode ſe habet hebraicus textus עמך נדבת ביום חילך hhammehà nedabot bejom cheleha, *populus tuus ſpontaneus in die exercitus tui.* D. Hier. „ populi tui duces ſpontanei “. Modo in latinis impreſſis *tecum*, legitur, quæ quidem lectio, juxta Trevetum ortum a falſitate codicum duxit, cum hham *populus* non *ſecum* ſignificet: verum animadvertendum occarrit, quod ab eodem vocabulo ſeu radice uterque provenit interpretatio permutatis tamen punctis, unde D. Hier. cujus ætate nondum puncta extabant, *populi tui* tranſtulit, ex traditione hebræorum licet falſa. Igitur *tecum* legendum eſt cum univerſa Eccleſia.

Et

Digitized by Google

Ex utero ante luciferum genui te. Apud hebræos extat מרחם משחר לך טל ילדתך ex utero aurora ſibi res nativitatis tuæ. Aquila ſic vertit „ de vulva diluculo ſurgentis tibi ros pueritiæ tuæ “. Symm. „ de vulva ſuper auroram tibi ros adoleſcentia tua “. R. Barachias „ de matrice auroræ tibi ros infantiæ tuæ “. D. Hier. „ de vulva orietur tibi ros adoleſcentiæ tuæ “. Suis deturpant commenti hunc locum hebræi, docentes in ortu Abraham rore fœlici gratiæ præventus fuerit, vel a vulva matris paratus fuit Rex, & alia permulta tradunt, quæ repetere me pudet.

Secundum ordinem Melchiſedech. Longum hic eſſet ea referre, quæ de Melchiſedech ab innumeris tradita ſunt, quapropter nonnulla nunc afferam, ne adoleſcentes jejuni remaneant, eodemque tempore inſtituti noſtri limites minime transgrediantur. Melchiſedech nomen ex duobus nominibus compoſitum exurgit, *Melech* nempe, Rex & *Zedech* hoc eſt, juſtus. Hic eſt, qui Abraham benedixit, decimaſque accepit, ac panem, & vinum in ſacrificio obtulit. Sine patre, matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens a D. Paulo pingitur, propterea quod impudentiſſimi Judæi optimum virum, immo ſanctum vocitant, ſed tamen ſpurium, cum in hebraicis faſtis ſuæ ſtirpis nomina minime adnotentur. Hierax Ægyptius ſpiritum ſanctum nominat: Theodotus Trapezita cum ſuis *ſupernam virtutem* defendunt: nonnulli Sem Noe filium volunt. Hæreticum quidem eſt, illum tamquam ſupernam virtutem Chriſto majorem tueri, cum Deo magno, qui eſt ſuper omnia Deus, qui non eſt arbitratus rapinam eſſe ſe æqualem Deo, qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, qui unum cum Patre eſt, nullam adinveniri poteſt virtutem Chriſto majorem, qui ille quidem eſt, qui ſuper omnia Deus magnus elucet, & cum in forma Dei eſſet, non eſt arbitratus rapinam eſſe ſe æqualem Deo. Igitur cum hæc omnia minime prædicari poſſint de Melchiſedech, ei haud eſt tribuendum, quod ſoli Chriſto competit, ac per conſequens ſuperna non eſt virtus Chriſto major. Forſan Spiritus Sanctus erit? at quis unquam aſſeruit, ſpiritum ſanctum humanam abſumpſiſſe carnem? panem, vinumque obtuliſſe, Abraham benedixiſſe, decimas recepiſſe? Quod ſi ſecundum carnem, ait Epiphanius hær. 57. natus eſſet ſpiritus, cum Maria Salvatorem ediderit, dicat nobis Hierax ubi nam gentium ea ſit, quæ ſpiritum peperit? Nec Spiritus Sanctus Melchiſedech habendus eſt. Homo quidam extitit forſan Chananæus Rex Salem, juxta D. Hier. poſtea Jebus, ad extremum Jeruſalem appellata eſt. Nec mirum eſſe ſi ſacerdos Dei altiſſimi deſcribatur abſque circumciſione, & legalibus ceremoniis, & genere Aaron, eum Abel quoque, Enoch, & Noe placuerint Deo, & victimas obtulerint, ſicuti de Job legimus, quod & ipſe oblator munerum fuerit, & quotidie pro filiis ſuis hoſtias immolarit. Neque audiendi ſunt, qui filium Noe crediderunt, cum Melchiſedech, juxta D. Pauli aſſertum abſque genealogia ſit, Sem vero patrem habuit Noe fratres Cam & Japhet, ortus, mors in ſcriptura memorentur, proindeque alius a Sem exiſtimandus eſt; qui vero nam fuerit ignoratur.

Non Rex Jeruſalem, ſed Salem urbis Sichimorum extitit, ita S. Hier. inquit ipſe „ Salem autem non, ut Joſephus, & noſtri omnes arbitrantur, eſſe Hieruſalem, nomen ex græco, hebraicoque compoſitum: quod abſurdum eſſe peregrinæ linguæ mixtura demonſtrat; ſed oppidum juxta Scythopolim, quod uſque hodie appellatur Salem, & oſtenditur ibi palatium Melchiſedech, ex magnitudine ruinarum, veteris operis oſtendens magnificentiam: de quo in poſteriore quoque parte Geneſeos ſcriptum eſt, venit Jacob in Socoth, id eſt, in tabernacula & fecit ſibi ibi domus, atque tentoria, & tranſivit in Salem civitatem regionis Sichem, quæ eſt in terra Chanaan. Conſiderandum quoque eſt, quod Abrahæ a cede hoſtium revertenti, quos perſecutus eſt uſque Dan, quæ hodie Paneas ap-

„ pellatur, non de via Hieruſalem, ſed de oppido Metropoleos Sichem, in itinere „ fuerit: de quo in Evangelio quoque legimus *Erat autem Joannes baptizans in* „ *Ennon, juxta Salim, quia aqua multa erant ibi.* Nec refert utrum Salem an Sa- „ lim nominetur, cum vocalibus in medio literis perraro utantur hebræi, & pro „ voluntate lectorum, atque varietate regionum eadem verba diverſis ſonis, at- „ que accentibus proferantur. Hæc ab eruditiſſimis gentis illius didicimus: qui in „ tantum non recipiunt, Spiritum Sanctum, vel Angelum fuiſſe Melchiſedech, ut „ etiam certiſſimum hominis nomen adſcribant . . . . . . Si ergo hæc civitas Re- „ gis eſt, & vallis regis, ſive, ut ſeptuaginta tranſtulerunt, *campus*, quem hodie „ Aulonem Palæſtini vocant, manifeſtum eſt, hominem fuiſſe, qui in terrena & „ valle, & urbe regnaverit. “. Quę quidem quæſtio a D. Cyrillo Al. fuſe pertractatur, a Nat. Alex. Laur. Berti, innumeriſque aliis.

P S A L M U S CX.

A R G U M E N T U M.

Ex mirabilibus Dei operibus, ac beneficiis homini præſtitis, laudem ipſius eruit Vates.

T I T U L U S.

Allelu-Jah. Heb.
Alleluja. LXX.

V. 1. CONFITEBOR TIBI IN TOTO CORDE MEO. Tam TIBI, quam MEO ſuperflua ſunt, neque in antiquo hebræo legebantur.

V. 9. REDEMPTIONEM MISIT DOMINUS. Translatores DOMINUS appoſuerunt, cum nec etiam in græco reperiatur.

A N N O T A T I O N E S.

AB Agellio cujuſdam græci refertur opinio docens, pſalmos illos qui Alleluja ſunt inſigniti, gratiarum actiones eſſe, nec locum habere inter orationes, canticoſque. Hebræi hic de accepta manna in deſerto loqui tradunt pro quo beneficio gratias agunt. Nos vero cum patribus tuemur, pertractari de operibus, ac gratiæ beneficiis, præcipue vero de Euchariſtia, in qua fidei myſteria, æternique teſtamenti eminent. Præſens pſalmus alphabeticus eſt, de quo alibi loquuti ſumus.

Exquiſita in omnes voluntates ejus. Hebræus habet דרושים decuſcim, hoc eſt, explorata, parata, inſtructa. D. Hier. „ exquirendo in omnibus voluntatibus ſuis “. Hunc locum Rabini exponunt, magna Domini opera ab illis exquiri, qui volunt, & cupiunt ea.

Eſcam dedit. Nonnulli prædam, ſpolia explicant ex obvia hebraici nominis טרף tereph acceptione, innuit etiam *eſcam*, & cibum. Ejus extenditur ſignificatio ad carneum cibum, ac carnem a belluis vi raptam.

Intellectus bonus. D. Hier. ex hebræo vertit שכל ſcechel „ doctrina bona „ cunctis, qui faciunt eam “. Treverus „ eruditio bona cunctis, qui faciunt ea “.

Si-

Digitized by Google

Sine pronomine in pſ. Rom. veteri, & in D. P. A. legitur „ bonus eſt intelle„ ctus facientibus ". Ex quo apparet, cohibere non poſſe Varlenium lectores, ut cum pronomine verſiculum dictum legant.

PSALMUS CXI.

ARGUMENTUM.

Qui erga pauperes miſericordia commoventur, gloria, & bonis cumulabuntur a Deo.

TITULUS.

Hallelu-Jah. Heb.
Alleluja. LXX.

℣. 8. Donec despiciat. Hebræus addit אשר aſcer donec quod.

ANNOTATIONES.

IN aliquibus vulgatis latinis habetur „ Reſurrectionis Aggæi, & Zachariæ " quæ verba Eſdræ Arnobius tribuit. D. Parens legit „ converſio Aggæi, & „ Zachariæ ". Circa quod dici poteſt, David in Spiritu prævidiſſe, poſt Babylonicam captivitatem illos reverſuros eſſe in patriam. Ciracus doctor, aliique putant illos hic memoratos eſſe, quatenus templi reſtaurationem prædixerunt, ſpiritualis ſcilicet, atque lætitiæ inenarrabilis in adventu ſummi, & veri Dei, cui ipſorum Prophetarum nominum explicatio convenit, cum Aggæus ſignet *feſtivitas ſeu hilaritas* Zacharias *memoria Dei.*

Valentia contendit, hunc David exaraſſe pſalmum ad laudandum Dominum in die ſolemni Paſchæ, ſed ignoratur a quo nam fonte hoc hauſerit. Hic pariter alphabeticus eſt.

Beatus vir. Animadvertendum eſt, per verbum *Vir* nedum intelligi debet maſculum, ſed & fœminam: *inſuper*, juxta Hugonem, ætatem, ſponſum, ſexum, probitatem.

In mandatis ejus volet nimis. Per verbum חפץ chapets innoteſcit mira delectatio, & ſic „ in mandatis ejus delectatur valde ". Illius etiam verbi vis demonſtratur per id, per quod conſtruitur, cum quadam, nempe, præpoſitione ſum nam adhæſionem exhibente: uno verbo, intenſum innuit amorem erga Dei mandata.

Exortum eſt in tenebris lumen rectis. In Theodoreto mendum depromitur, ibi enim legitur *gentibus* pro *rectis*. S. Hier. habet „ exortum eſt in tenebris lumen juſtis ".

Jucundus homo. Diverſimode vertuntur hæc verba a plurimis, D. Hier. „ bo„ nus vir ", ita & Symmacus. Campenſis „ fœlix, & commodus ". Felix „ beatus, „ bonus, fœlix ". Varablus, Cajetanus, Nebienſis „ bonus ". Vetus pſ. D. Parens, & Proſper „ ſuavis homo ". A Titelmano eruitur, nomine *jucundi* non ſignificari proprie *latum*, *ſed benignum*, *dulcem*, *ſuavem aliis.* Apollinarius vertit „ blandum ":

Blandus qui mutuavit vir, alios miſerans.

Ab auditione mala non timebit. Chryſ. „ nuncium malum non timebit ". Apollinarius

Nunquam reformides iniquum auribus rumorem:

Hier.

Hier., aliique Patres „ ab auditu malo “.

Donec deſpiciat inimicos ſuos. Clarius ex hebræo, & literaliter „ donec videat „ in hoſtibus ſuis, quod deſiderat “. LXX „ donec videat ſuper inimicos “; ſic & D. Parens. S. Hier. ex hebræo „ donec aſpiciat in hoſtibus ſuis “. Apollinarius *Donec inimicorum deſpiciat miſerandum vultum.*

PSALMUS CXII.

ARGUMENTUM.

Ad laudandum Deum hortantur omnes, nedum quia omnipotens eſt, ac beneficus, ſed quia etiam humiles exaltat.

TITULUS.

Hallelu-Jah. Heb.
Alleluja. LXX.

℣. 2. Ex hoc nunc. Hoc additum reperitur in latinis impreſſis.

℣. 4. Et super cælos. Et nec in hebræo, nec in græco legitur.

℣. 6. Et humilia respicit. Conjunctionis particulam hebraicus textus reticet.

ANNOTATIONES.

HOc in loco a Valentia ſufantur Judæi aſſerentes, præſentem pſalmum cum aliis quinque ſequentibus cantari ſolitum fuiſſe in tribus magnis feſtivitatibus, & in omni neomenía, & in nocte Paſchæ, poſtquam comediſſent panem azimum loco agni Paſchalis, quare illum vocant *Alleluja magnum*, *ſeu hymnus magnus.* Ipſum perlege.

Laudate pueri Dominum. Obſervandum occurrit, quod nomen *pueri* in ſacra ſcriptura non ſemper parvæ ætatis hominem deſignat, ſed *ſervum* indicat, ſic ſonat nomen עבד hhebed a radice עבד hhabad ſervivit. Servi pueri vocantur, quia in obtemperando ſicuti & illi ſemetipſos exhibent. Revera Aquila, Symmacus, Theodotion, Theodoretus, Nicephorus, & Euthimius *laudate ſervi Dominum* verterunt. D. P. Auguſtinus notat, non ad pueriles tantum annos hæc facta eſt exhortatio, ſed ad omnem profertur ætatem, & ad omnes quibus dicitur ne *efficiantur pueri ſenſibus*, ſed *malitia parvuli*, ut facile intrent per anguſtam portam & laudent nomen Domini.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CXIII.

ARGUMENTUM.

Quæ in exitu Ægyptio populo Dei acciderunt mire canit Pſaltes atque fatetur unum verum Deum eſſe, idola autem nullius virtutis.

TITULUS.

Alleluja. LXX.

℣. 5. Et tu ..... Quia. Hæc verba in hebræo minime leguntur.

Secunda pars pſalmi juxta hebræos.

℣. 1. Et veritate tua. Pro Et in hebræo legitur hhal, ſuper.

℣. 3. Deus autem noster in cœlo. Græcorum aliqui habent „ & in terra “.

℣. 9. Domus Israel. Transl. domus addiderunt, in textu non extat.

℣. 18. Qui vivimus. Declarationis, cauſſa a Transl. adpoſitum.

ANNOTATIONES.

Licet in Hieronymi translatione *alleluja* principio reperiatur, tamen in impreſſis hebraicis non exiſtit: forſan illud, quod in tranſacti fine eſt poſitum in præſentis initio collocandum erat.

De populo barbaro. Juxta etymologiam hebraici nominis לעץ lohhets interpretatur populum ignota lingua, ac idiomate loquentem, ſeu ob ruditatem, ferociamque morum: intelligi etiam poteſt de barbarie ſæviſſima, qua hebræi detenti in Ægypto extitere. Multa de Ægyptiorum feritate ab Juvenale ſat. 14. proferuntur, licet Herodotus ad ſidera illos exaltet.

Mare vidit. Rubrum, nempe, ſeu Erythræum quod ab hebræis יםסוף jam ſuph vocatur, atque a Steucho interpretatur *mare termini* quatenus apud illum *ſuph* terminus dicatur. Verum hæc refellitur opinio a pleriſque, quia arabicus ſinus Oceanus minime eſt, tum quia in hebraico idiomate *terminus ſoph*, non *ſuph* appellatur. Obvia illius nominis acceptio ſecundum omnes doctores, etiam Hebræos, eſt *Scirpus*, *alga*, & optime quidem, cum ſit mare algoſum, & ſcirpis abundans. In ipſo tanta reperitur algæ, & muſci copia, ut in cumulis inde effectis, ac ſole duratis Troglodytæ cavernas excavent, in quibus degant, uti a Diodoro habemus.

Non nobis Domine. Hic ſecunda pſalmi pars juxta hebræos incipit.

Hebræorum codices, & aliquorum Græcorum in fine *alleluja* ponunt, ſed videtur pertinere poſſe ad titulum ſequentis.

Digitized by Google

PSALMUS CXIV.

ARGUMENTUM.

Ex innumeris anguſtiis ereptus, Deo gratias agit Propheta.

TITULUS.

Alleluja. LXX.

℣. 2. In diebus meis invocabo. Antiquus hebræus legebat „ invo-
„ cabo te “, hodiernus autem reticet.

℣. 8. Pedes meos. Grecus particulam Et addit.

ANNOTATIONES.

Circa hujuſce pſalmi materiem non omnes doctores inter ſe conveniunt, Anaſtaſius credit Prophetam in populi perſona Deo gratias agere poſt Babylonis reditum, cui ſavent nonnulli Hebræorum. Theodoretus vero exiſtimat, in ſpiritu Machabæorum triumphum vidiſſe, atque cantaſſe ſuper Antiochi Epiphanis tyrannidem. Hebræorum reliqui, Lyranus, Trevetus, ceterique Patres apertiſſime tenent, hic agi de aliqua Davidis liberatione ſeu a Saulis perſecutione, ſeu Philyſthæorum. Tandem ab aliqnibus tuetur, hunc exaraſſe ob incolumitatem acceptam alicujus morbi.

Et pericula inferni invenerunt me. Verbum מצרים metſarim innuit *anguſtias.* Hier. vertit „ munitiones inferni “.

Cuſtodiens parvulos Dominus. פקאים petaim vere ſignificat ſimplices, quibus nullo negocio imponas, & perſuadeas.

Humiliatus ſum. Hebræus majoris ideam abjectionis exhibet דלותי dalloti attenuatus ſum. Theodoretus ex Symm. „ Langui “.

PSALMUS CXV.

ARGUMENTUM.

Præteritum proſequitur argumentum.

TITULUS.

Alleluja. LXX.

℣. 1. Ego autem. In textu autem non extat.

℣. 5. Coram omni. Additur in hebræo נא na, quæſo.

℣. 7. Et filius ancillæ. Reticet hebræus Et legit autem „ ego ſer-
„ vus tuus filius ancillæ tuæ “.

ANNOTATIONES.

Apud Hebræos, ceteroſque interpretes, teſte Theodoreto, præſens cum præterito conjungitur pſalmo: quinta, & ſexta editio eodem modo ſe habent: Sym-

Symmacus, & LXX. dictum ſeparant, ut in vulgata apparet.

Humiliatus ſum nimis. Hier. & D. Parens verterunt „ afflictus ſum nimis “. Sic verbum עניתי hhanitti importat.

Ego dixi in exceſſu meo. בחפזי bechopzi *in feſtinatione mea* poteſt transferri. LXX. legunt „ in ectaſi mea “. Sic D. P. A. & Aquila „ ego dixi in pavore meo, „ omnis homo mendacium “: ita D. Hier. placuit. Symm. „ & dixi, cum an- „ xius, ac mœrens eſſem, omnis homo mentitur “. Alii „ in præcipiti fuga mea “. Apollinarius „ Stupens “. In pſal. Rom. Caſſiodoro, Gregorio, Petro Damiani „ in exceſſu mentis meæ “.

Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum. In textu eſt יקר ikar, quod verti poteſt *cara*, *grata*, *honorifica*. Quidam interpretati ſunt *rara*. In Tertulliano legitur „ honorabilis “.

Dirupiſti vincula mea. Maxima abſconditur emphaſis in verbo פתחת pittachtha, *diſſolviſti*, ait Hier. *aperuiſti per modum etiam foſſionis.*

In fine apud Hebræos Hallelu-Jah ponitur.

PSALMUS CXVI.

ARGUMENTUM.

Ob promiſſum Mundi Redemptorem, ad ipſum laudandum invitat Vates.

TITULUS.

Alleluja. LXX.

℣. 2. Manet in æternum. Translatoribus manet addere placuit.

ANNOTATIONES.

HEbræi ſentiunt, præſentem pſalmum ad Meſſiæ tempus ſpectare, quando gentes cum Judæis convenient, ac ſimul conjungentur ad laudandum Dominum. Hier. tradit hunc parvum eſſe pſalmum, ſed in myſteriis magnum, vocemque apoſtolicam tenere, & juxta normam Evangelicam inquatuor verſuum numero contineri.

Quoniam confirmata eſt. Majoris virtutis eſt גבר gavar, hoc eſt, *confortata*, ut Hier. etiam tranſtulit. Roborata eſt, prævaluit, dominium obtinuit, magis, ac magis invaluit.

PSALMUS CXVII.

ARGUMENTUM.

In ipſius Davidis coronatione ſolemnis congratulatio.

TITULUS.

Alleluja. LXX.

℣. 4. Dicant nunc omnes. A Transl. omnes appoſitum eſt declarationis cauſſa.

℣. 6. Dominus mihi adjutor. In textu adjutor deficit.

℣. 10. Quia ultus sum in eos. Græcorum nonnulli quia non habent: olim in Latinis ſub aſteriſco reperiebatur, quod nunc in textu apparet.

℣. 14. Et laus mea. Declarationis gratia addita eſt vox mea.

℣. 16. Exaltavit me. Non reperitur in hebræo me, ideoque Latini diverſum retinent ſenſum, nam textus legit „ dextera Domini exal-„ tata eſt “.

℣. 28. Dues meus es tu. Non extat apud hebræos Es tu.

℣. Confitebor tibi &c. Hic verſiculus deficit in hebræo: & a Transl. ponitur tanquam totius pſalmi epilogus ad gratiarum actionem exaggerandam.

ANNOTATIONES.

IN hoc pſalmo de Chriſto Domino prophetatur, ut obſervat Hier. ideo olim ab Judæis in Synagogis ſolemniter legebatur, populiſque celebrior erat. Idem teſtatur R. Salomon, quem citant Lyranus, Aiguanus, & Valentia. Caſſiodorus hunc pſalmum appellat quibuſdam fulgoreis coloribus contextum, & ſpecioſa fronte relucentem, habentem in capite quatuor verſus unifines, & in fine primum decora iteratione geminatum, & penegultimum cum vigeſimo primo eundem, ut tamquam *veſtis* pontificia aureis quibuſdam filis, & vermiculata pulchritudine contextus fulgeat.

De tribulatione invocavi Dominum. המצר hammatſar ſic hominem in anguſtia poſitum depingit, ut declinare nullibi poſſit, ſicuti quando quis in anguſtis reperitur locis.

Ultus ſum in eos. Quid verbum אמילם amilam contineat, adamuſſim latine reddi nequit, eſt enim juxta Symmacum frangere ſuccidere, perimere. D. Hier. in vita Antonii habet „ & in nomine Domini vindicavi in eis “: eodemque admonet loco, quod illud *quia* quod græce non legitur, latine ſub aſteriſco legendum eſſe.

Circumdederunt me ſicut apes. Aliqui latini Patres ad hanc apum ſimilitudinem attendunt, cum trumatim apum examina adoriuntur & ſauciant, mella auferre volentes. Hac Claudianus utitur comparatione 2. in Ruffin. ubi de turbis animarum circumſtantibus, ac laceſſentibus Ruffinum:

Tunc

Digitized by Google

Tunc animæ, quas ille ſero ſub jure peremit,
Circumſtant: nigrique trahunt ad judicis urnam,
Infeſto fremitu; veluti paſtoris in ora
Commota glomerantur apes, qui dulcia raptu
Mella trahit, pennaſque cient & ſpicula tendunt.

Eſaias c. 7. 18. nomine, & vocabulo apis Judæorum inimicum Aſſur vocat.

O Domine ſalvum me fac. Additur in textu hebraico particula נא na, obſecro, quæſo.

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis. Hieronymus vertit „ frequentate ſo-„ lemnitatem in frondoſis". Trevetus „ obligate ſolemnitatem in frondoſis". Alii „ ligate feſtum frondibus" ſolebant enim Judæi Templum frondibus ornare ſicuti mos apud nos viget, ſparſiſque etiam ramis ac floribus. Apollinarius:

Coronis læti viridem congregate ſolemnitatem.

Chryſ. „ ligate ſolemnitatem in pinguibus, hoc eſt, victimis": quamvis hanc Aquilæ nonnulli tribuant interpretationem. Symm. „ colligate in celebri conven-„ tu denſitates". Hebraicum verbum אסור iſſeur primum *ligate* ſonat, dein parare ſe ad aliquid, inſtruere, inire.

PSALMUS CXVIII.

ARGUMENTUM.

Divinæ legis laus.

TITULUS.

Alleluja. LXX.
א Aleph. Heb.

Tertius octonarius incipiens a ג ghimel-*Retribue &c.*

℣. 3. Incola ego sum. Neceſſario intelligendum ſum, licet non legatur in textu.

℣. 7. Servus autem tuus. In ſola vulgata habetur autem.

℣. 8. Consilium meum justificationes tuæ. Justificationes tuæ hebræus reticet, pro quibus retinet „ viri conſilii mei".

Quartus octonarius incipiens a ד daleth- *Adhæſit &c.*

℣. 5. De lege tua. De additum.

Quintus octonarius incipiens a ה He-*Legem pone &c.*

℣. 2. In toto corde meo. Superfluum in textu illud meo.

Sextus octonarius incipiens a ו vau-*Et veniat ſuper me &c.*

℣. 7. Mandatis tuis, quæ dilexi. Ex Græcis aliqui, teſte Hier. habent „ dilexi vehementer".

℣. 8. Ad mandata tua quæ... Antiquus hebræus tua minime legebat, in hodierno vero impreſſo reperitur!

Septimus octonarius incipiens a ז Zain *Memor eſto &c.*

℣. 1. Verbi tui. Tui hebræus tacet.

℣. 3. A LEGE AUTEM TUA. Additum videtur illud AUTEM.

Octavus octonarius incipiens a ח Cheth-*Portio mea &c.*

℣. 2. IN TOTO CORDE MEO. Redundat in latinis MEO.

℣. 3. COGITAVI VIAS MEAS. In aliquibus antiquis Bibliis hebraicis VIAS TUAS legitur, ſed rectius retinet hodiernus, latino & græco concordans.

Nonus octonarius incipiens a ט Teth-*Bonitatem feciſti &c.*

℣. 5. EGO AUTEM IN TOTO CORDE MEO. Tam antiquus, quam recentior hebræus AUTEM, ET MEO RETICENT.

Decimus octonarius incipiens a, י Jod-*Manus tuæ &c.*

℣. 3. IN VERITATE TUA. Declarationis gratia a Transl. TUA additum.

℣. 6. EGO AUTEM. Non extat in hebreo AUTEM.

Undecimus octonarius incipiens a כ Caph-*Defecit in ſalutare &c.*

℣. 1. ET IN VERBUM TUUM. Tam in hebræo, quam in græco ET non reperitur.

Duodecimus octonarius incipiens a ל Lamed-*In æternum Domine &c.*

℣. 4. TUNC FORTE. τὸ FORTE. hebræus non memorat.

Quartus decimus octonarius incipiens a נ Nun-*Lucerna &c.*

℣. 5. IN MANIBUS MEIS SEMPER. D. Hedon. refert, quod Græcorum aliqui legunt „ in manibus tuis ſemper “. Hebræus autem antiquus, & hodiernus בכפי becaphai habet, nempe, in manibus meis, ita etiam LXX.

Decimus ſeptimus octonarius incipiens a פ Pe-*Mirabilia &c.*

℣. 8. QUIA NON CUSTODIERUNT. Aliquos codices Hier. refert, ubi habetur „ non cuſtodivi “. Ut vulgatus legitur tam in hebræo, quam in reliquis interpretibus.

Decimus nonus octonarius incipiens a ק Coph-*Clamavi in toto corde &c.*

℣. 1. IN TOTO CORDE MEO. Transl. MEO addiderunt.

℣. 4. OCULI MEI AD TE DILUCULO. Non extat in hebræo AD TE, tamen latini ſententia per illa verba declaratur.

Vigeſimus primus octonarius incipiens a ש Scin-*Principes &c.*

℣. 3. LEGEM AUTEM TUAM. Autem appoſitum eſt.

ANNOTATIONES.

PSalmus præſens omnibus prolixior ac celebrior eſt, de ipſo D. P. Auguſtinus in pro: in hunc pſ. ait „ Quanto videtur apertior, tanto mihi profundior „ videri ſolet, ita ut etiam quam ſit profundus demonſtrare non poſſim. Aliquorum „ quippe, qui difficile intelliguntur, etiamſi in abſcuritate ſenſus latet, ipſa ta„ men apparet obſcuritas, hujus autem nec ipſa “. Sublimitas, profunditas, perſpicuitas elucent. Divinæ legis amor, ac ſtudium perenne docetur; moralis, præcipuaque ſapientiæ ſublimia exponuntur præcepta. Quæ quidem ab infantia diſcenda ſunt, alta mente retinenda, & ſingula illius verba ſedula meditatione verſanda. S. Amb. ſcribit, quantum excellat in David ethica, pſalmi hujus declarari gratia, quem pſalmum, cum ille pleriſque locis aliorum pſalmorum tamquam ſtellarum lumina, quæ lucent, atque emicant in orbe, diffuderit, velut pleni luminis ſolem meridiano ferventem calore in perfecta libri conſtituerit ætate, ut neque matutini ortus ſemiplena exordia, neque veſpertini occaſus quidam ſenilis defectus claritatis aliquid perfecto ſplendori decerperent. S. Bonaventura in ſerm.

17.

Digitized by Google

17. de lumin. loquitur, quod Auguſtinus ſemel unicam intuitus eſt arborem pulcherrimam habentem viginti duos ramos, & quilibet, inquit, habebat ramuſculos octo, atque de illis guttulæ dulciſſimæ rorabant: intellexitque, arborem illam pſalmum *Beati immaculati in via* eſſe; nam viginti duas alphabeti literas hebraicas habet & ſub una quaque octo verſus ut verbis claros, ita ſententiis obſcuros. Contra Pelagianiſtas D. Parens hunc expoſuit. Amalarius in lib. 4. de Eccl. off. ſcribit, pſalmum moribus plenum eſſe. Ex hebraica cabala, ſeu traditione erudimur, quod hic in uſu fuit a Dividis tempore, filiique Iſrael variis ex locis ter in anno in templum conveniebant, & in via iſtum recitabant pſalmum ad itineris incommoda levanda, animumque in pietate, ac religione continendum.

Acroſtichus eſt, ſed a præteritis diverſus: hic per octonarios dividitur; qui ſub una alphabeti litera continentur, & ſic uſque ad ſuum finem.

א A L E P H.

Aleph doctrinam ſonat.

Utinam dirigantur viæ meæ. Prophetæ deſiderium majoris apparet virtutis ex lectione textus hebraici יכנו iconu firmentur ſtabiliter.

ב B E T H.

Beth communiter interpretatur domus.

In quo corrigit adoleſcentior. Aliquid plus ex יזכה jezaccheh, *in quo mundabit.* Symm. „ in quo illuſtrabit junior “. Hier. „ in quo corriget juvenis ſemitam ſuam “. Nonnulli „ in quo purificabit viam ſuam “.

In juſtificationibus tuis meditabor. Cordis affectus magis elucet ex hebræo; eſt enim אשתעשע aſtahhaſciahh *delectabor.* Apollinarius reddit *garriam.* Hebraica vox applicationem exprimit ad aliquod cum plaudentis geſtu, unde percipiatur voluptas.

ג G H I M E L.

Ghimel conveniunt doctores ſignificare retributionem.

Concupivit anima mea deſiderare. Quid pulchrius ex hebræo? נפשי להאבה גרסה gareſah maphſci ſeraabah, contracta, attrita, excuſa eſt anima mea deſiderando. Alii „ fregit ſe anima mea ob, deſiderium “. Symm. „ perfecta erat “.

ד D A L E T H.

Daleth porta interpretatur.

Dormitavit anima mea præ tedio. Apud Hebræos eſt דלפה dalpah, defecit, liquefacta eſt anima mea præ triſtitia. Apollinarius „ inclinabatur, & cadebat “. S. Amb. ex Orig. „ ſtillavi “. Hier. „ diſtillavit anima mea præ ſtultitia “.

ה H E.

He Ambroſius, Avendanus, Zindanus eſt *aut* vivit *explicant.*

Legem pone הורני hornai *lore me* innuit. Symm. „ oſtende “. Aquila, & Theodotio „ illumina, “. Hier „ oſtende mihi “.

Et non in avaritiam. Verbum hebræum בצע beſſahh inexhauſta habendi cupiditatem demonſtrat. Revera Apollinarius expoſuit „ inſatiabilem avariſſimam „ contumeliam “.

ו V A U.

Vau interpretatur eſt ille.

Quia mandata, tua exquiſivi. Vocoum דרש daras diligenter quærere deſignat.

Digitized by Google

ז ZAIN.

Zain ab Hier. vertitur iſta.

Superbi inique agebant uſquequaque. Obvius hebraicus ſenſus eſt הליצני עד מאר זדים zedim heliſtuſuni hhad meod ſuperbi deriſerunt me plurimum valde. Alii „ inſultabant, ludebant, contemoebant “. Aquila „ deriſores “. Symm. „ inſidia- „ tores “. Quinta, & ſexta editio „ iniquos, legiſve prævaricatores “.

Defectio tenuit me. Clarius ex heb. זלעפה אחזתני zalhhapah achazatni *terror invaſit me.* D. Parens „ obtinuit me “. Apolinarius

„ *Cor præ imbecillitate ſauciatus perculſus ſum* “.

Hæc facta eſt mihi. Laborat S. P. A. in iſta e oquutione explicanda; ex hac enim hebraiſmus elegans inſurgit, quem D. Hier. Sic vertit זאת היתה-לי zot ha- jetah li, hoc factum eſt mihi, nempe, hoc m[illegible] boni contigit.

ח CHETH.

Cheth vitam interpretatur Hier.

Paratus ſum, & non ſum turbatus. Hebraica verba ſunt חשתי ולא התמהמהתי chaſti, velo hitmahmahti, *properavi & non tardavi.* Cenomanus putat, LXX. deri- vaſſe nomen dictum a radice המה hamah, hoc eſt, turbare, ſtrepitum facere: Interpretes omnes textus verba pro *properare*, *feſtinare* explicant.

ט TETH.

Teth, excluſionem *ſignificat.*

Priuſquam humiliarer ego deliqui. Hanc ſententiam טרם אענה אני שגג ferem ahhenah ani ſciaghegh. D. Hier. vertit „ antequam audirem ego ignoravi “. Alii „ priuſquam auſcultarem “. Felix „ antequam humiliarer “. Hæc interpretatio- num varietas a multiplici notione verbi ענה hhanah oritur.

Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum. Clariore, & emphatico modo ex heb. טפלו עלי שקר זדים tapolu hhclai ſceker zedim *applicaverunt adverſum me mendacium ſuperbi.*

י JOD.

Jod confeſſionem, *aut* deſolationem *interpretatur.*

Manus tuæ plaſmaverunt me. Dictio ויכוננוני vaiconenuni magnum exprimit artificium, fecerunt perfecto modo, abſolverunt. D. Amb. habet „ paraverunt “. Symm. „ perfecerunt me “. Hil. „ præparaverunt “. In vetere pſalterio extat „ finxerunt “.

כ CAPH.

Caph interpretatur currum.

Factus ſum ſicut uter in pruina. Nomen בקיטור bekitor non pruinam tantum innuit, ſed omne id, quod ad inſtar ſumi extollitur, ideo translatores plurimi *in fumo* explicarunt. R. Kimki habet „ vapor, exhalatio inſtar fumi “. Amb. „ in ge- „ licidio “. Trevetus ex Hier. „ in fumario “.

Narraverunt mihi fabulationes. De hac dictione *fabulationes* S. P. A. ait „ Quod „ uſque adeo uno verbo nequaquam dici latine poteſt, ut aliqui delectationes, ali- „ qui fabulationes eas dicerent, ut non immerito accipiatur eſſe quidem illas exer- „ citationes, ſed in ſermone cum quadam delectatione “. SS. Hil. & Amb. inqui- unt „ exercitationes “. Aquila heb. „ propius ſarriebant mihi ſuperbi laqueos “. Symm. „ ſubfoderunt mihi ſuperbi ſubterranea “.

Quin-

Digitized by Google

Quinta editio „ foderunt mihi ſuperbi foveas “, & hæc omnia juxta hebræum ſunt כרו·לי זדים שיחות caru lì zedim ſcichot. LXX. ſenſum amplexati ſunt dicentes „ narraverunt &c. R. Aben Ezra docet, verba illa indicare *inveſtigare mendacium.*

מ M E M.

Mem nonnulli maculam *vertunt*, *incerta ſignificationis ſunt hæ literæ.*

Prohibui ab omni via mala. Verbum כלאתי caliti emphatico modo vertit Aquila „ coercui “. Felix „ cohibui & in carcerem incluſi “.

נ N U N.

Nun Amb. vertit unicum *Hier.* ſempiternum.

Humiliatus ſum uſquequaque. Plus ex hebræo ſum. נעניתי עד מאד nahhaneti hhad meod afflictus ſum vehementiſſime, vexatus.

ס S A M E C H.

Samech adjutorium *Hier. vertit.*

Iniquos odio habui. Impios in genere LXX. interpretati ſunt verbum סעפים ſehhapim: juxta autem literam eſt שנאתי סעפים ſaneti ſahhapim *vane cogitantes odivi.* Hæc explicatio ex nominis ſimilitudine, quod primo ſonat *ramum*, quatenus cogitatio eſt cordis ramus, ita R. Aben Ezra. Hier. „ cogitantes cogitatio-
„ nes vanas “. Alii „ cogitationes humanas alienas a lege “.

Spreviſti omnes. Aliquid majoris virtutis ex hebræo apparet סלית ſalita *conculcaſti.*

Prevaricantes reputavi. Aquila legit „ Vinacea deputaſti omnes impios terræ “. Symm. hebræo propius „ ſcoriam putaſti omnes tranſgreſſores terræ “. השבת סיגים ſighim hisbatta *ut ſcorias ceſſare feciſti &c.*

Confige timore tuo carnes meas. Verbum סמר ſamar Hier. tranſtulit „ hor-
„ ripilavit præ timore tuo caro mea “. Aquila „ clavis fixa eſt a pavore tui ca-
„ ro mea “. Idem habetur in Heſychio. D. Parens, & Proſper „ confige clavis a
„ timore tuo “.

צ T S A D E.

Tſade juſtitiam *eum Hier. plurimi exponunt.*

Tabeſcere me fecit zelus meus. Si verbi צמת tſamat acceptiones conſiderentur, has explicationes exhibet *ſuccidit*, *conſumpſit*, *contriſtavit.* Hebraizantes omnibus utuntur: Aquila „ conſumpſit me “. Symm. „ tacere me fecit “.

Ignitum eloquium tuum. Super verbum *ignitum* S. Hil. ſic loquitur „ non
„ explicat proprietatem verbi hujus latinitatis translatio, quod enim nobiſcum i-
„ gnitum ſignificat id quod tamquam conflatum, igne purgatum ſit “. Revera verbum צרף tſaraph illud importat, & ſic translatores nonnulli verterunt „ re-
„ purgatus eſt ſermo tuus “, quod vim dictionis demonſtrat.

ר R E S C.

Reſe Ambroſius caput, *aut* primatum *tranſtulit.*

Judica judicium meum. Juxta verborum virtutem eſt „ litiga litem meam “. ריבה ריבי ribah ribì.

PSAL-

PSALMUS CXIX.

ARGUMENTUM.

Ut patriæ reſtituatur, ac a perſecutione liberetur Propheta orat.

TITULUS.

Canticum graduum. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. 2. Et a lingua dolosa. Et græcus habet: in hodierno hebræo minime reperitur, neque in antiquis codicibus legebatur, ut fatetur D. Hier. ad Suniam ſcribens.

℣. 7. Me gratis. Translatores addiderunt verba modo recitata, in textu non extant.

ANNOTATIONES.

UTrum omnium canticorum graduum author ſit David incertum eſt: ſi ex titulis erui certum judicium poteſt, clare conſtat non ſolius David opus eſſe, cum non omnes ejus nomine ſint inſigniti.

Graduum vocantur ab hebraica voce המעלות hammahhalot, nempe, aſcenſiones, ita ſentiunt Aquila, Symmacus, & Theodotio. R. Aben Ezra, R. Kimki, & R. Levi Gerſon docent, verbum antea dictum, inſtrumentum muſicum denotare, aut vocis modulationem, præcipuamque pro hiſce quindecim pſalmis & propriam cantilenam. Ceteri vero Rabini, hebraizantes, ac Patres græci ſentiunt, deſignari per illam quindecim templi gradus, in quorum quolibet unus ex his totidem pſalmis eo ordine, quem in pſalterio tenent, decantarentur a Levitis; ita ut in loco atrii, in quo fœminæ conſidebant, eſſent ſeptem gradus, inde ad atrium ſacerdotum eſſent octo. Idem ſcribit in pſ. 82. & in 150. D. Parens, appellamus iſtos quindecim pſalmos graduales, quatenus tot fuerunt templi gradus. Latini enarratores myſticum ſenſum cognoſcunt. Nonnulli Thalmudiſtæ tenent, hos decantandos eſſe pſalmos ab Judæis quando revertentur ex captivitate, in qua nunc ſunt. Interea iſtos memoriæ optime mandent, ut jucunda ſit Chriſtianorum auribus eorum tumultuaria cantilena in lætabundo die, in quo templum, & altare, propoſitionis panes, ſanctamque aram, thiaram ſacerdotalem, rationale, Urim, & Thumim, aureum thuribulum iterum adinvenient.

Communior tamen ſententia pro quindecim templi gradibus ſtat.

Cum carbonibus deſolatoriis. Effectum carbonis LXX. expoſuerunt, & verbi רתמים retamim, nam hujus ſignificatio nominis eſt „ cum carbonibus juniperorum “, ex quibus ſolidi fiunt carbones ad deſolandum apti. Ita Hier. vertit, & Aquila. S. P. A. legit „ cum carbonibus vaſtatoribus “. R. Salomon explicat de igne gehennæ inextinguibili, in quo puniuntur Babylonii, qui captivitate populum Iſraeliticum vexarunt. Chryſ. habet „ cum carbonibus conſtipatis “, uti eſt juniperorum materia.

Cum habitantibus Cedar. Pro *Cedar* Campenſis tranſtulit *triſtes* Filius Iſmaelis Cedar fuit, a quo Cedareni denominati ſunt nonnulli habitatores cujuſdam regio-

gionis. Non in urbibus iſti habitabant, ſed in tentoriis errantes. Hilarius iſtos Saracenos vocat, cum quo convenit Arnobius, qui tradit, ſolitudinem habitaſſe Palæſtinæ uſque ad terras Perſarum.

PSALMUS CXX.

ARGUMENTUM.

Soli Deo fidendum eſt.

TITULUS.

Canticum graduum. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. 7. ANIMAM TUAM DOMINUS. In textu non extat DOMINUS.

℣. 8. EX HOC NUNC. Licet EX HOC non legatur in hebræo, tamen ſincentati, ac puritati linguæ ſanctæ non opponitur.

ANNOTATIONES.

NIhil eſt requirendum in ſequentium quindecim pſalmorum titulis cum idem ſit omnium argumentum.

Deminus protectio tua. Hebraica phraſis eſt צלך tſeleha, *Dominus umbra tua.* Vetus pſalterium, & S. P. A. habent „ tegumentum tuum “.

PSALMUS CXXI.

ARGUMENTUM.

Jeruſalem, & templi gloriam celebrat Vates.

TITULUS.

Canticum graduum ipſius David. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. 6. QUÆ AD ... SUNT. Explicarunt translatores obſcuram hebraici textus ſententiam, ideoque verba ſuperius poſita addiderunt.

℣. 7. ET ABUNDANTIA. In hebræo minime exiſtit ET.

ANNOTATIONES.

IN *atriis tuis Jeruſalem.* Verbum שעריך ſcehharaih Hier., & alii *portas* transtulerunt. *In atriis* LXX. poſuerunt, ne quis acciperet judicia forenſia, quæ agitabantur in portis, cum hic agatur potius de Dei cultu, religioniſque uſu.

R Bel-

Bellarminus teſtatur, in Jeruralem non ſimplices extitiſſe portas, ſed duplices, ita ut eſſet inter utraſque ſatis magnum ſpatium: dicitur enim David inter duas ſediſſe portas, & principes regis Babylonis in porta media. Vatablus in Jer. 39. exponit, in porta ſita inter murum, & antemurale. Alii intelligunt per atrium templi tria ſpatia per muros diviſa, & in illis portæ: ſic Joſeph 6. de bel. cap. 6. R. Joſeph in 4. Reg. 12. Hier. in Soph. 1. Theodoretus ibidem.

Jeruſalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum. Clarius, ac ſimplicius ex hebræo ירושלם הבנויה כעיר שחברה לה יחדו jeruſcialaim habbenujah chehhir ſcechubberah lah jachdau, *Jeruſalem quæ ædificatur ut civitas, quæ conjuncta eſt ſibi pariter.* Symm. „ Jeruſalem ædificatam, ut civitatem, habentem connexionem ſibi “: quam explicationem etiam Chryſ. ſequitur.

Fiat pax in virtute tua. Legitur apud Hebræos בחילך bechileha *in antemurali tuo.* Alii „ in ambitu tuo “, ex quo magis ſententiæ ſenſus clareſcit. Symm. & D. Hier. „ in muris tuis “ inter cives tuos. Advertendum pariter eſt, quod vox חיל chail *virtutem, robur, ſtrenuitatem* denotat.

PSALMUS CXXII.

ARGUMENTUM.

Ut a ludibriis, & injuriis iniquorum liberetur, orat Propheta.

TITULUS.

Canticum graduum. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. 4. QUIA MULTUM REPLETA. Illud QUIA additum eſt, in textu enim non reperitur.

ANNOTATIONES.

R*Epleti ſumus deſpectione.* Verbum שבענו ſciabahhnu majorem continet emphaſim, nempe, *ſaturati ſumus.*

PSALMUS CXXIII.

ARGUMENTUM.

Ob liberatam Synagogam a perſecutoribus Deo gratias agit Pſaltes.

TITULUS.

Canticum graduum ipſius David. Heb.
Canticum graduum. LXX.

Nihil peculiaris in hoc adinvenitur pſalmo, omniaque cum hebraico congruunt textu.

ANNOTATIONES.

IN textu nomen David reperitur, ex quo deduci poteſt, iſtius pſalmi auctorem eſſe.

Fer-

Digitized by Google

Forſitan aqua abſorbuiſſet nos. Hebraica verba D. Hier. vertit „ forſitan aquæ „ circumdediſſent nos". Pſalterium vetus, ac D. Parens habent „ forſitan aqua „ demerſiſſet nos". Proſper „ forte vivos abſorbuiſſent nos". Chryſ. „ tunc uti-„ que aquæ, inundaſſent nos, tanquam gurges".

Aquam intolerabilem. Expreſſio hebraici textus eſt הזידונים hazzedonim, aqua ſuperba: ita Hier. Aquila, Symmacus, Theodotio. S. P. A. legit *ſine ſubſtantia.* In Bibliis Regiis habetur „ .... comparantur aquis maris elatis".

PSALMUS CXXIV.

ARGUMENTUM.

Sperantes in Deo conſolabuntur, impii peribunt.

TITULUS.

Canticum graduum. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. 2. In circuitu ejus. Ideo latinus in circuitu habet, quia diverſimode ab hebræo legit, ceterum neque in reperitur, neque circuitu ſed circuitus ei.

℣. 5. Adducet Dominus. Hebræus habet eos, de more linguæ.

ANNOTATIONES.

D*Eclinantes autem in obligationes.* LXX. habent „ ſtrangulationes". Aquila, & Theodotio „ implicationes ſimultates". Symm. „ obliquitates". Hebræus עקלקלותם hhakalkalotam iniquitates ſuas, perverſitates. Sic & Hier. Apollinarius „ adduci cum operantibus iniquitatem".

PSALMUS CXXV.

ARGUMENTUM.

Captivitatis Babylonicæ liberationem canit Propheta.

TITULUS.

Canticum graduum. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. 6. Semina sua .... venientes autem. Sua, & autem addita apparent.

ANNOTATIONES.

COmmunis docet opinio, hoc in pſalmo pertractari de facultate a Cyro obtenta ab Judæis in patriam redeundi. R. Aben Ezra hunc de ſuo Meſſia ex

Digitized by Google

familia David exponit, quem diſtinguit ab alio ex familia Joſeph, ita hoc occiſo, ille ſit liberaturus captivos Hebræos ætatis noſtræ.

In convertendo Dominus &c. Hebraiſmus eſt „ quando redire fecit Deus captivitatem Sion, facti ſumus veluti ſomniantes “. Apud Nebrienſem „ erimus veluti „ infirmi, qui convaluerunt “. S. P. A. „ facti ſumus ſicut gaudentes “.

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum. Magis vis verbi exprimitur per שחוק ſuchok, nempe, *riſu*: ita Aquila & Hieronymus.

PSALMUS CXXVI.

ARGUMENTUM.

Quidquid urbibus, familiis, regniſque boni evenit ex peculiare Dei dono contigit.

TITULUS.

Canticum graduum ipſi Selomoh. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. 5. Beatus vir qui. In nonnullis Græcorum exemplaribus, teſte Hier., vir non reperitur quod tamen in hebræo, & LXX. legitur.

ANNOTATIONES.

Hic Salomonis nomen reperitur, ſicuti etiam in translatione D. Hier. In codicibus Latinis Regiorum Bibliorum, atque græcis non extat, in emendatis tamen Latinis poſitum iterum eſt, juxta fidem editionis hebraicæ. Ex hoc tamen haud ſequitur, Salomonem auctorem iſtius extitiſſe pſalmi, ut volunt Euſebius, & Origenes in opere Periarchon lib. 3. c. 11. Sed David, ac filio ſuo dicavit, quatenus ædificaturus erat Dei templum, ita etiam R. Salomon explanat. Qui quidem Hebræorum doctor aſſerit, David in hoc pſalmo filium ſuum corripere, ob futuram uxorem Pharaonis filiam contra legem, in qua inhibita ſunt cum mulieribus alienigenis ſponſalia. Sed quantum a vero ſit alienus, nemo eſt, qui non videat. R. vero Kimki de ſuo Meſsìa futuro intelligit, qui templum, & Jeruſalem reædificaturus eſt: interim Judæi cedrorum ligna, calcem, ac materialia parent, ut quam cito, quem expectant, ædificet.

Fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Relinquunt pronomen Hebræi, & Græci. In pſ. Rom. Caſſiodoro, & Gregorio eſt „ in vanum vigilant qui cuſtodiunt eam “. In vetere pſalm. „ in vanum laborant, qui cuſtodiunt eam “. D. Parens „ in „ vanum laboravit, qui cuſtodit eam “. In hebræo primum verbum præteriti temporis eſt שקד ſciakad, quod non *laborem*, ſed *vigiliam* innuit. Secundum verbum in Benoni eſt, ſeu participium שומר ſciomer *cuſtodiens.* De hac cuſtodia Paulinus Natali 8. S. Felicis, cecinit

> . . . . *fidant legionibus illi,*
> *Perfugiiſque parent reparatis mœnia muris;*
> *Nulla ſalutiferi, quibus eſt fiducia Chriſti:*
> *Nos crucis invictæ ſignum, & confeſſio munit:*

Ar-

Digitized by Google

Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis; & quamquam membris videamur inermes:
Arma tamen gerimus, quibus, & ſub pace ſerena
Contra incorporeos animis decernimus hoſtes.
Nunc opus adjutore Deo, ſoluſque timendus.
Ipſe intra muros turris tibi, qui ſine muris
Murus erit.

Ita filii excuſſorum. Intelligitur ex hebræo, quid hoc nomen importet, הנעורים hannehhurim *juvenum.* Theodotio habet „ filii juventutis “: ita Symmaeus, Aquila „ filii pubertatum “. Hier. uti Theodotio. Chryſ. legit „ filii alli- „ gatorum “. Hi apparent, qui non ſunt in juventute ſuſcepti a parentibus, aut nati ex his excuſſis, & vexatis, ſed nominantur excuſſi ob eam ætatem, in qua ſolent excuti quodammodo a peculiari, & molliore cura parentum, & interdum ab ipſa domo.

Implevit deſiderium ſuum. Non deſiderium exprimit verbum אשפתו aſpato, ſed *pharetram ſuam*, & hæc eſt nominis intrinſeca acceptio, quam nedum D. Hier. verum etiam Chryſ. & alii amplexati ſunt. Hic allegoria jacet: expoſitores vide.

PSALMUS CXXVII.

ARGUMENTUM.

Omnibus implebuntur bonis pie, ſanctеque viventes.

TITULUS.

Canticum graduum. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. 2. QUIA MANDUCABIS. In aliquibus Græcorum exemplaribus teſte Hier. QUIA. non extat, quod tamen reperitur in textu hebraico, vulgato, omnibuſque interpretibus.

ANNOTATIONES.

L*Abores manuum tuarum quia manducabis.* Clarius ex D. Hier. „ labores manuum tuarum cum comederis “. Apollinarius pro *manuum fructuum* accepit:

Delectaberis, quæ laboraſti comedens ſuavem fructum.

Eodem modo Iſidorus Peluſiota lib. 1. ep. 414. Hebraicum nomen eſt כפיך capeha, quod Hier. Symm. & quinta editio verterunt *manuum tuarum.*

Uxor tua ſicut vitis abundans. Major elicitur virtus in verbo פריח periach *fructificans.* S. P. A. legit „ ſicut vinea fertilis “. Pacianus ep. 3. „ ſicut vitis fœcunda “.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CXXVIII.

ARGUMENTUM.

Iſraeliticæ gentis inimici, licet ad perdendam illam inſurrexerint, tamen non prævaluerunt adverſus eam.

TITULUS.

Canticum graduum. Heb.
Canticum graduum. LXX.

ANNOTATIONES.

SÆpe *expugnaverunt me.* Simplicius ex hebræo רבת צררוני rabat tſeraruni, *multum afflixerunt me.* LXX. habent „ impugnaverunt “. R. Kimki accipit pro *multis tribulationibus.*

Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores. Idiotiſmus hebraicus eſt hujuſmodi חרשו חרשים chareſciu choreſcim *araverunt arantes*, qua explicatione Theodoretus, Theodotio, Aquila, & D. Hier. utuntur.

Prolongaverunt iniquitatem ſuam. Videtur LXX. legiſſe למעוניתם lemahhavonitam iniquitatem ſuam pro למענותם lemahhanotam *ſulcum ſuum*, ut verterunt Hier. & Trevetus. Obſervandum eſt, quod in aliquibus codicibus reperitur hebraicum ſignum, nempe keri chetib, demonſtrans aliter legi, aliter ſcribi, unde tam prima, quam ſecunda explicatio ſtat. R. Kimki intelligit de illa linea, quam ſignat, qui bobus arat in agro. Secunda interpretatio magis placet, cum perfecta Chriſti Domini flagellatio deſcribatur. Aquila legit „ in longum pro„ traxerunt “. Symmacus „ protenderunt affligentes “.

PSALMUS CXXIX.

ARGUMENTUM.

Ut a pœna culpis debita liberetur, orat Propheta.

TITULUS.

Canticum graduum. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. 4. Et propter legem tuam. Et tamen in hebræo, quam græco deſideratur.

℣. 5. Sustinui te. Te additum, qua de re ad vocativum tranſtulerunt Domine, quod in hebræo poſitum in accuſativo eſt.

ANNOTATIONES.

NEdum inter graduales repoſitus præſens pſalmus eſt, verum etiam inter pœnitentiales, & in eo ii omnes invitantur, qui reatibus ſunt maculati, ut

ut reſipiſcant, magniſque præcibus veniam implorent. Cajetanus defendit, hunc pſalmum ad literam de adventu Meſsiæ agere, ut Iſraelito populo peccata remittat, univerſoque mundo. Valentia diverſimode ſentit & contendit, vocem populi eſſe, qui de peccati carcere erui optat, & habitantium in limbo, ut inde a Chriſto liberentur.

Quia apud te propitiatio eſt. Præter hæc in hebræo ſequentia leguntur, הורא למען lemahhan tivvare, *ut timearis*, quæ in latinis impreſſis quidem exiſtunt, ſed in diverſa ſignificatione, nempe, *propter legem tuam.* Aquila, Hieronymus, Maſorethæ, quinta editio, ut ſuperius interpretati ſunt. Aliam etiam verſionem ex D. Hier. habemus „ cum terribilis ſis " pro *legem tuam.* Apollinarius, *propter tuam ſapientiam.* Verum a genuino ſono hebraicæ vocis contraria eſt allata verſio. Hæc varietas lectionum ortum ſumpſit ex ſimilitudine hebraicorum elementorum י, ו, א quæ ſunt in priore nomine, & aliquoties permutantur in ה. Cernitur nunc in codicibus hebraicis, ut iſdem literis retentis, præter quam mutando ה in א cum ſola punctorum mutatione, pro הורה torah, nempe, *lex*, ſcribitur verbum הורא tivvaù futuri temporis paſſivæ vocis in niphal, *timeberis.*

PSALMUS CXXX.

ARGUMENTUM.

Quæ ſit Prophetæ humilitas deſcribitur.

TITULUS.

Canticum graduum ipſius David. Heb.
Canticum graduum. LXX.

ANNOTATIONES.

DAvidis nomine hic inſignitur pſalmus, tamquam ipſius auctor. In translatione Nebienſis omittitur, & in permultis latinis Bibliis, etiam in Complutenſibus, & Regiis; ab innumeris etiam enarratoribus non memoratur, exceptis Lyrano, Aiguano, Valentia, & Rikelio.

Si non humiliter ſentiebam. Aliud in textu exprimitur, אם-לא שויתי ודוממתי im lo ſcivviti vedomamti *ſi non poſui, & tacere feci animam meam.* Theodoretus ex Symm. „ Si non dignatus ſum, & ſimilem reddidi ". Senſus vero intime non immutatur. Hier. & S. P. A. „ ſi non propoſui ". Apollinarius per enunciationis modum

„ *Sed ſemper ſapiebam humillima benignitatibus* ".

PSAL-

PSALMUS CXXXI.

ARGUMENTUM.

In templum recenter extructum Dei arcam Salomon deferens, ipſumque orat, ut ibi ad regni, & ſacerdotum cuſtodiam maneat.

TITULUS.

Canticum graduum. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. 1. Et omnis mansuetudinis. Additum apparet Et.

℣. 5. Et requiem temporibus meis. In textu hebraico non leguntur hæc verba ſcribuntur ſolis LXX., obelo tamen notata.

ANNOTATIONES.

Quis hujuſmodi pſalmi auctor extiterit a Doctoribus diſſeritur, videtur, illum Salomonem exaraſſe, ut ex ipſius verbis conſtare poteſt. Nil adfirmare contendimus. R. Salomon ſcribit, quod cum portaretur a ſacerdotibus arca in Salomonis templum, templi portæ ſponte clauſæ ſunt, nec apertæ ſunt, uſque dum recitarent illa verba „ propter David ſervum tuum, non avertas faciem „ Chriſti tui ". Solemne figmentum! Apud Abulenſem iſtius Rabini confutationem legi poteſt. 2. Paral. 6. q. 22. S. Hieronymus ep. 27. in epitaphio Paulæ pro certo habet, iſtius pſalmi David auctorem fuiſſe.

Et omnis manſuetudinis ejus. ענותו hhunnoto exprimit *afflictionis ejus.* Aquila, & Symm. „ vexationis ejus ".

Ecce audivimus eam in Ephrata. Regionem Ephraim denotat trans Jordanem, octo milliaribus ab Jeruſalem diſſitam, teſte Euſebio. Circa etymon vero, juxta Hier. ſignat regionem frugiferam, & fertilem.

Viduam ejus benedicens. Nonnulli exiſtimant, propter alicujus codicis errorem, *viduam* irrepſiſſe. Extat in hebræo צידה tſeidah *eſca*, *venatio.* Habetur in D. Hieronymi commentario, quod ita etiam LXX. legerunt. At propter novitatem verbi, & unius literæ mutationem, paulatim obtinuiſſe *viduam* pro *venatione.* Varia eſt in codicibus lectio: apud Cypr. eſt *portam.* Theodoretus ex Symm. „ annonam ejus ". Quinta editio ut Heb. & LXX. legit. Aquila „ cibaria "

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CXXXII.

ARGUMENTUM.

Inter Iſraelitas concordiam commendat Propheta.

TITULUS.

Canticum graduum ipſi David. Heb.
Canticum graduum. LXX.

ANNOTATIONES.

IN multis Latinis Bibliis nomen David omittitur, quamvis in emendatis reſtitutum ſit. Inſuper & non pauci enarratores illud minime memorant. In hebraicis vero ubique legitur.

Sicut unguentum in capite. Addit hebræus הטוב hatob, hoc eſt, *optimum*, ita in D. Hier. reperitur, præter hebr. libros.

Quod deſcendit in barbam. R. Salomon docet, quod unctio recenſita cum digito conſecrantis fiebat intincto unguento. Primo in capite digitus imponebatur conſecrandi, deinde ex utraque parte uſque ad palpebras trahebatur, atque ad barbam deſcendens, ideoque dicitur in pſalmo *quod deſcendit.* Subtilis, ac ſtultus commentator.

PSALMUS CXXXIII.

ARGUMENTUM.

Sacerdotes, ac Levitas ad laudandum Dominum propenſius invitat Vates.

TITULUS.

Canticum graduum. Heb.
Canticum graduum. LXX.

℣. I. ECCE NUNC. Superfluum in Vulg. eſt NUNC. IN ATRIIS DOMUS DEI NOSTRI. Deficiunt hæc verba in hebraico textu.

ANNOTATIONES.

IN *atriis domus Dei noſtri.* Circa quæ S. Hilarius ait „ reperi autem quoſdam „ ambiguos circa hoc *in atriis domus* fuiſſe dicentes, idcirco hoc a translatori„ bus primis adjectum eſſe, quia ſub iiſdem verſibus ſequenti pſalmo continetur, „ opinantibus ipſis, ſcriptorum vitio in libris hebraicis fuiſſe præteritum. Sed novi

S „ in-

„ interpretes, quæ volunt, tractant; nobis vero obſequendum eſt & auctoritati „ translationum, & vetuſtati“. Similiter in comm. D. Hier. fere eadem leguntur. Hoc unum eſt, quod in hodierno hebræo impreſſo relata verba non extant, forſan ex librariorum, aut manuentium incuria.

PSALMUS CXXXIV.

ARGUMENTUM.

Sicuti Iſraelitæ innumera acceperant Divina beneficia, ideo omnes ad gratias agendas hortatur Propheta.

TITULUS.

Hallelu-Jah. Heb.
Alleluja. LXX.

℣. 13. Domine memoriale tuum. Ab aliquibus Græcorum Domine non legitur.

ANNOTATIONES.

Quæritur ab aliquibus, quare poſt pſalmos graduales, inveniatur in ſequentium titulis Hallelu-Jah? Reſpond. ab Enarratoribus, quoniam gradus ſpiritualis aſcenſionis perambulans, & ſic ad veram perfectionem pertingens, dignus eſt Deum laudare, ſicuti verbum illud ſignificat. Sed ſatis ſit de perquiſitionibus hujuſmodi.

Edurens nubes ab extremo terræ. Propius ex heb. מעלה mahdleh, qui aſcendere facit nubes. Hier. „ levans nubes de ſummitatibus terræ“.

Regem Amorrhæorum. Etymon eſt *amari*. Erant enim Amorrhæi rebelles ex præcipuis nationibus ſeptem, quæ promiſſionis poſſidebant terram. Notatiſſimi iniquitatibus erant, de quibus in Gen. cap. 15. 16.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CXXXV.

ARGUMENTUM.

Superioris eſt proſecutio materiæ.

TITULUS.

Alleluja. LXX.

℣. 5. Qui fecit luminaria magna. Nonnulla Græcorum exemplaria addunt solus.

ANNOTATIONES.

IN Bibliis Hebraicis adinvenitur Hallelu-Jah in fine præteriti pſalmi, quod probabiliter ad præſentis pertinet titulum.

Quoniam in æternum miſericordia ejus. Vicibus 26. allata verba in hoc pſalmo repetuntur, hujus rei cauſſam aſſignat R. Salomon, a mundi exordio uſque ad divinæ legis emanationem in monte Sina, viginti ſex generationes præteriere, ſola divina accurrente miſericordia illas regente.

Qui fecit cœlos in intellectu. Hebræus habet בתבונה bitbunah cum intelligentia. Hier. „ in ſapientia ". Quod exprimitur ex ipſo hebraico verbo; nam ſingulari ingenio, ſapienter, cum ſumma induſtria facere demonſtrat.

Qui firmavit terram ſuper aquas. רקע rakahh eſt proprie *extendere*, *expandere*, Chryſ. vertit „ conſtrixit ".

PSALMUS CXXXVI.

ARGUMENTUM.

Propriam ſervitutem in Babylonia Hebræi lugent.

TITULUS.

Ipſi David Hieremiæ. LXX.

℣. 1. Cum recordaremur tui sion. A translatoribus additum eſt tui emphaſis gratia, pro quo textus habet nos.

ANNOTATIONES.

NEque in impreſſis hodiernis hebraicis, neque in translatione Hieronymi, neque in Symmaco, Aquila, & Theodotione allatum titulum adinvenitur; ex quo aliqui de auctore ejuſdem dubitant, præſertim S. Doctor. Pſalterium Rom. ſolummodo *pſulmus David* retinet.

Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea. ערו hharu *excutere* juxta Buxt. Hier. „ evacuate evacuate uſque ad fundamentum ejus “. Alii „ nudate, diſ- „ cooperite, evertite, excindite, complanate “.

Filia Babylonis miſera. Fortius ex hebræa voce השדודה haſcedudah *vaſtata, devaſtata.* Symm. „ prædatrix “. Theodotio „ diripienda “.

PSALMUS CXXXVII.

ARGUMENTUM.

Ob varia recepta beneficia Deo gratias refert Pſaltes.

TITULUS.

Ipſius David. Heb.
Pſalmus ipſi David, Aggæi, & Zachariæ. LXX.

℣. 1. Quoniam audisti verba oris mei. In nullo Hebræorum exemplari dicta verba leguntur, neque pro ſententiæ intelligentia neceſſaria videntur.

℣. 2. Super omne nomen sanctum tuum. Græcorum aliqui; teſte Hier., & Marino super omnes legunt. LXX. habent uti ſupra. Heb. super omne nomen tuum verbum tuum.

℣. 3. In quacumque die. Quacumque additum.

℣. 4. Omnia verba. Non reperitur in hebræo omnia.

℣. 7. Super iram. Neque Hebræi, neque Græci et habent.

ANNOTATIONES.

In textu hebraico ſolius Davidis nomen legitur, in textu vero græco, uti ſuperius, ſed plerique Græci, Theodotio, Aquila, & ſexta editio verba *Aggæi, & Zachariæ* omittunt. Apollinarius habet:

Commune Zachariæ, Aggæi hoc carmen.

In Sixtina editione *Aggæi & Zachariæ* appoſitum videtur.

Magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum. Quæ præterea ab Hebræis adduntur, ſuperius obſervavimus. Quod notavit Hier. in ep. ad Suniam, & in ſuo pſalterio.

Dominus retribuet pro me. Videtur aliquos legiſſe גמל ghamal *retribuit* quod nunc eſt גמר ghamar, nempe, *perfecit*: ita Symmacus, Hieronymus habet „ operabitur pro me “. Alii „ proficiat pro me “.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS CXXXVIII.

ARGUMENTUM.

Sicuti omnia intuetur Deus, ita hortatur omnes Propheta, ut innocentem ducant vitam.

TITULUS.

Victori ipſi David. Heb.
In finem pſalmus ipſi David. LXX.

℣. 1. ET COGNOVISTI ME. Hebræus reticet ME.

℣. 5. TU FORMASTI ME. Emphaſis gratia Tranſl. addiderunt TU.

℣. 6. MIRABILIS FACTA EST SCIENTIA TUA. Conſpicimus addita verba eſſe FACTA EST..... TUA, propterea hebraicæ ſententiæ ſenſus alius a latino apparet.

℣. 11. ILLUMINATIO MEA. Non extat in hebræo MEA.

℣. 22. ET INIMICI. Tam in hebræo, quam in græco non legitur particulam ET.

ANNOTATIONES.

IN Bibliis Complutenſibus, & Regiis præter Davidis nomen, hæc appoſita intuentur „ Zachariæ in diſperſionem “, quæ nec apud Hebræos LXX., ceteroſque interpretes exiſtunt: Theodoretus ſcriptum reliquit „ quiſpiam arbitra- „ tu ſuo pſalmum intelligens, tituli additionem fecit “. Apollinarius illa recitat Zachariæ nomen tacendo:

In diſperſione ſtridulum carmen cecinit David,
Octavum centeſimum eſt, & vigeſimum.

R. Kimki Adamo tribuit totius pſalmi contextum pro omnibus filiis ſuis, & poſteris, quam Jacobus de Valentia refutavit opinionem.

Funiculum meum investigaſti. Hebræi ita habent ורבעי זרית veribhſi zarita *accubitum meum cingit.* D. Parens „ limitem “. Hier. „ & accubationem meam “. Symmacus, & Theodotio „ viam meam “.

Ecce Domine tu cognoviſti omnia noviſſima, & antiqua. Alia eſt hebraica phraſis אחור וקדם צרתני achor, vakedem tſartiani, *retro, & ante formaſti me.* In noſtra vulgata major ſervatur majeſtas.

Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ. Pulchrius ex hebræo רקמתי rukkamti, quod verbum *acu pingere* innuit, & ſic literaliter verti poteſt *in variis membris meis decoratus fui in inferioribus terræ.* Symm. „ varie formatus fui in infi- „ mis terræ “. Hier. „ imaginatus ſum in noviſſimis terræ.

Nimis confortatus eſt principatus eorum. ראשיהם roſcehem, quod verbum aliqui interpretati ſunt *ſummæ eorum.* Alii *quam copioſa capita eorum.* Theodoretus ex Theodotione „ corroborati ſunt pauperes eorum “. Qui *capita eorum* verterunt, hebraicam vocem literaliter explicarunt. Hier. „ quia fortes pauperes eorum “.

Le-

Digitized by Google

Legentes *pauperes* verbum hebraicum acceperunt rejecto א aleph, uti animadverterunt Eugubinus, & Cenomanus.

Quia dicitis in cogitatione, accipient in vanitate civitates tuæ. אשר יאמרך למזמה נשוא לשוא עריך alcer immah limzimah, naſu laſſave hhareah, hoc eſt, ſicuti Symmacus traſtulit „ qui quidem loquuti ſunt contra ſe cogitatione, elevati ſunt „ fruſtra adverſarii tui “. Pagn. vero „ qui dixerunt abominationem, aſſumpſe- „ runt in vanum nomen tuum hoſtes tui “. Quinta editio „ quoniam exacer- „ baverunt te in malo conſilio “.

Si via iniquitatis in me eſt. עצב hhotſeb exprimit dolorem, moleſtiam, dolum Hier. „ Si via doli “. Pſ. vetus „ via laboris “.

PSALMUS CXXIX.

ARGUMENTUM.

Ab inſidiis Saulis, omniumque ſuorum inimicorum liberari petit a Domino David.

TITULUS.

Victori pſalmus ipſius David. Heb.
In finem ipſi David pſalmus. LXX.

℣. 6. Funes extenderunt in laqueum. Aliqua Græcorum exemplaria addunt „ pedibus meis “ quod ſuperfluum reputatur a D. Hier.

℣. 9. Cogitaverunt contra me..... ne forte. Translatoribus adiicere placuit ne forte... contra me, ob id in textu alius a Latino ſenſus oritur.

℣. 11. Non subsistent. Græcus conjuntionis particulam ponit Et non.

ANNOTATIONES.

A *Viro iniquo eripe me.* Iſtius iniqui caracterem verbum חמס chamas exprimit, e cujus manibus liberari cupit Propheta, eſt enim vir violentiæ amicus.

Cogitaverunt contra me. Verba זממו אל-תפק zamamo al tapek exhibent „ deſideria ejus, ne conſumas, ne perficias “. Hier. „ Scelera ejus ne effundan- „ tur “. LXX. legerunt *zamemu* cogitaverunt, nunc autem eſt *zemamo*.

Caput circuitus eorum. Convenientius ex verbis ראש מסבי עמל שפתימו יכסימו ros meſibai, hhamal ſephatemo jecaſſemo *caput circumdantium me, perverſitas labiorum ejus operiet eum.* Theodoretus ex Symm. „ acerbitas circumdan- „ tium me, labor labiorum eorum operiat “. Aquila „ caput evertentium me “. Hier. „ amaritudo convivarum meorum “. Alii „ venenum “: nam vox ראש ros caput, & venenum ſignificat.

Vir linguoſus non dirigetur in terra. Major ineſt virtus in verbis בל-יכון bal iccon *non firmetur, non ſtabilietur in terra.*

Virum injuſtum mala capient in interitu. איש-חמס רע יצודנו למדחפת iſc chamas rahh, jetſudennu lemadchepot *virum violentum venatur malum ad expulſiones.*

LXX.

LXX. habent „ venabuntur in interitum“. Symm. „ iniquitates virum ve- „ nabuntur “.

PSALMUS CXL.

ARGUMENTUM.

Dum in anguſtiis verſatur, ut patienter agat, humiliter deprecatur Vates.

TITULUS.

Cantus ipſius David. Heb.
Pſalmus David. LXX.

℣. 2. Sicut incensum. Non legitur in hebræo Sicut, qua de re alium obtinet ſenſum latina dictio.

℣. 7. Dissipata sunt ossa nostra. Græcorum aliqui ossa eorum habent, ac perperam, ut teſtatur D. Hier.

ANNOTATIONES.

D*Irigatur oratio mea.* תכון תפלתי tacon tephillati, quę verba majorem exprimunt actionem, *ſtabilietur oratio mea.* Alii „ proſperetur “; ſicut ſuffimentum aromaticum coram te. R. Kimki teſtatur, antiquam ſuffumigandi artem callentes uſque ab Alexandria evocatos ab Hebræis, ut ſuffumigatio ſurſum recta fieret inſtar palmæ, nec oblique hac illac fumus diſtraheretur.

Et oſtium circumſtantiæ labiis meis. Textus habet נצרח על-דל שפתי nitſerah hhal dal ſephatai *cuſtodiam pone ſuper oſtium labiorum meorum.* Hier. „ ſerva paupertatem labiorum meorum “. D.P.A. „ & oſtium continentiæ circa labia mea “.

Audiant verba mea, quoniam potuerunt. כי נעמו chi nahhemu, quoniam dulcia ſunt; aut ut LXX. „ quoniam dulcuerunt “. Aquila „ bene culta, & parata „ ſunt “. Symmacus „ jucundiſſima “. Hier. „ decorata ſunt “.

PSALMUS CXLI.

ARGUMENTUM.

A Saule quæſitus David, ut ab ejus manibus liberetur, deprecatur.

TITULUS.

Intelligentia ipſius David, quum eſſet in ſpelunca, oratio. Heb.
Intellectus ipſi David, cum eſſet in ſpelunca, oratio. LXX.

℣. 3. Et tribulationem meam. Tam apud Hebræos, quam Græcus deſideratur et.

ANNOTATIONES.

IN Complutenſibus codicibus, regiiſque habetur „ cum eſſet in ſpelunca orans “. Bruno, Agellius, Gerebrardus, R. Kimki, aliique tradunt, ſpeluncam, ubi ſe

Digitized by Google

ſe David delituit, Engaddi eſſe, ibique etiam oram chlamydis Saulis præcidit. Nonnulli ſcribunt, ſpeluncam Odollam extitiſſe, atque rationem aſſerunt, quoniam in alia recenſita ſpelunca non erat David deſtitutus omni auxilio, & ſolus, ſed cum ſexcentis viris.

In deficiendo ex me ſpiritum meum. Profundius ex hebræo, בְּהִתְעַטֵּף עָלַי רוּחִי behithhatuph hhalai ruchi *in aperiendo ſuper me ſpiritum meum.* Hier. „ cum anxius fuerit in me ſpiritus meus “.

Humiliatus ſum nimis, דַּלּוֹתִי dalloti, ex quo verbo miſerum Propheta ſtatum demonſtrat, nempe, attenuatus ſum valde, exhauſtus ſum. Symm. „ quia langui “.

PSALMUS CXLII.

ARGUMENTUM.

A filii ſui perſecutione liberari orat David.

TITULUS.

Pſalmus ipſius David. Heb.
Pſalmus ipſi David, quando ejus filius perſequebatur. LXX.

℣. 8. NOTAM FAC MIHI. Græcus addit DOMINE.

ANNOTATIONES.

NOn in omnibus exemplaribus ſuperior inſcriptio apparet, teſte Theodoreto ait ipſe „ in quibuſdam exemplaribus inveni, *quando ejus filius &c.*, ſed „ neque apud Hebræum, neque apud alios interpretes hanc adinveni additionem. „ Verumtamen inhæret veritati, nam hoc habet argumentum pſalmus “. Quod vero Judæi reticeant illam, teſtimonium exoritur ex tranſlatione Hieronymi, in qua minime memoratur.

Anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus. Hic textus hebraicus eadem utitur phraſe, ut ſuperius in ann. „ in deficiendo “. S. P. A. & vetus pſalt. legunt „ tædium „ paſſus eſt ſpiritus meus “. Alius, & quidem ex intima hebraici verbi ſignificantia, *circumvoluit ſe ſuper me anima mea.* Apollinarius:

Spiritus vero meus crebris difficultatibus compeditus eſt.

Digitized by Google

PSALMUS CXLIII.

ARGUMENTUM.

Triumphalis cantus ob victoriam Goliath, cæterorumque hoſtium.

TITULUS.

Ipſius David. Heb.
Ipſi David adverſus Goliath. LXX.

℣. 3. Aut filius hominis. Non extant in textu hæc verba.

℣. 7. Et de manu. Additum apparet et.

℣. 15. Beatum dixerunt. Ex oppoſitione verbi dixerunt, alius ab hebræo ſenſus oritur.

ANNOTATIONES.

IN hoc titulo D. Parens ex græco ſolummodo legit *David*, abſque nomine vel *pſalmi*, vel *Goliath.* Theodoretus circa LXX. inſcriptionem ait „ in „ nonnullis exemplaribus inſcriptioni additum inveni *ad Goliam:* verum neque „ apud hebræum, neque apud alios interpretes, neque apud ipſos LXX. inveni in „ hexaplo“; ex quo apparet, additum eſſe verbum Goliath a ſeptuaginta ſenioribus. In Bibliis complutenſibus, ac regiis, *ad Goliam* legitur: in emendatis Bibliis etiam Sixti, & Clementis intuetur nomen illud:

Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi.

Aliam exhibent ſignificationem hebraica verba בנותינו כזוית מחטבותתבנית הכל benotenu chezavit mechuttabot tabnit hechal filiæ noſtræ ſicut anguli diffuſi, aut ornati inſtar palatii. Ut hæc intelligatur phraſis, Treveti explicatione utar: quoniam cum in angulis præſertim ſordes eſſe ſoleant, ſolent hi in templis præcipue mundari, & ornari. Inſuper de filiabus pulchris exponit, & ornatis, ut ſint aptæ nuptiis. Symm. „ ut anguli ornati“. Aquila „ diffuſi“. Apollinarius:

At filiabus tantus in flore ornatus,
Oculis diceres deauratum templum videri“.

Solus extitit David, qui hac uteretur ſimilitudine circa mulierum pulchritudinem, aut ſaltem primus.

Eructantia ex hoc in illud. Clarius ex hebræo מזן אל-זן mizzan el zan *de ſpecie in ſpeciem.* Alii „ anguli noſtri pleni producentes de ſpecie in ſpeciem“. Vox זן zan demonſtrat varietatem aromatum, & unguenti genus, quod in thecis reponitur: oritur a radice זון zun *alere*, ex quo fit מזון mazon *eſca.*

PSALMUS CXLIV.

ARGUMENTUM.

Creaturas omnes peculiaribus repletas beneficiis divinis eſſe cognoſcens David, ipſum Deum laudat.

TITULUS.

Laus ipſius David. Heb.
Laudatio ipſi David. LXX.

V. 13. Fidelis Dominus &c. Totus præſens verſiculus in hodierno hebræo deſideratur: olim forſam legebant „ fidelis Deus in omnibus verbis „ ſuis, & pius in omnibus operibus ſuis ". נאמן יהוה בכל דבריו וחסיד בכל מעשיו neaman Jehovah becol devarau, vechaſid becol maaſau.

V. 15. In te sperant Domine. Transl. Domine appoſuerunt.

ANNOTATIONES.

APud Aquilam, & Hieronymum *hymnus David* habetur. Hic quoque pſalmus acroſthicus eſt, quod jam alibi loquuti ſumus quid importet.

Magnitudinis ejus non eſt finis. Verbum חקר chaker demonſtrat, quod magnitudinis ejus non detur inveſtigatio, perſcrutatio. Hier. „ & magnificentiæ ejus „ non eſt inventio ". LXX. ad ſenſum reſpexerunt.

Patiens. Eodem emphatico modo ארך אפים ereh appaim *tardus nimis ad iraſcendum.*

PSALMUS CXLV.

ARGUMENTUM.

Nullius roboris, ac virtutis Principum auxilia ſunt, ſed tantum divina.

TITULUS.

Hallelu-Jah. Heb.
Alleluja Aggæi, & Zachariæ. LXX.

V. 3. Nec in filiis hominum. Transl. addiderunt nec.

V. 4. Et revertetur. Superfluum in latinis et apparet.

ANNOTATIONES.

THeodoretus ſcribit „ in quibuſdam exemplaribus additum eſt *Aggæi & Zachariæ*: id vero neque apud hebræum, neque apud alios interpretes inveni, „ neque apud LXX. in hexaplo, id etiam de ſequentibus titulis intelligendum ".

Hi-

Digitized by Google

Hilarius notat, viſum eſſe translatoribus nomen Aggæi, & Zachariæ anteferre, ut noſceremus, pſalmum eſſe propheticum, quia per hos Prophetas, ſub quibus ædificata eſt iterum Jeruſalem, ipſo illo tum tempore æternæ Jeruſalem ædificatio prædicabatur, & hujus Jeruſalem potius, & Sion regem pſalmus oſtendit.

In fine iterum apud Hebræos Hallelu Jah reperitur.

PSALMUS CXLVI.

ARGUMENTUM.

Iſraelitici populi olim ſub Judicibus inter gentes diſperſi, deinde in Jeruſalem, præcipuo Dei auxilio collecti, beneficium extollit, pro quo gratias agit Propheta.

TITULUS.

Alleluja Aggæi, & Zachariæ. LXX.

℣. 1. DECORAQUE LAUDATIO. QUÆ pro ET poſitum hebræus reticet. Aliqui ex Græcis DECORA relinquunt, teſte Hier.

℣. 4. ET OMNIBUS EIS NOMINA. In hebraicis exemplaribus non exiſtit ET.

℣. *6.* HUMILIANS AUTEM. Eodem modo de verbo AUTEM.

℣. 8. ET HERBAM SERVITUTI HOMINUM. Hæc omnia in hodierno hebræo non reperiuntur.

ANNOTATIONES.

PUllis *corvorum invocantibus eum.* Simplicior hebraica phraſis eſt, אשר יקראו aſcer ikrau *qui clamant.* Hier. „ filiis corvi clamantibus". Dicuntur per metaphoram Deum invocare, dum vocitando famen declarant ſuam, eſcæque neceſſitatem. Quidam auctor græcus, quem ſine nomine Agellius citat, ait, quod corvus nullum retinet pro filiis affectum, eoſque negligit, idcirco inopia coacti clament ad Deum naturali quadam voce: quod vero Deus *boni aliis communicandi* ſtudioſus, illos nutriat ineffabili ſua ſapientia. Idem notat Theodoretus in comm. hujus pſalm. Angelicus doctor 2. 2. q. 83. art. 10. ad 3. appellat naturale deſiderium, quo omnia ſuo modo deſiderant conſequi bonitatem divinam: ſicut & obedire illi dicuntur, propter naturalem inſtintum, quo a Deo moventur. Ariſtoteles 6. de hiſt. anim. c. 6. lib. 9. c. 31. ſcribit, incubare corvum viginti diebus, tum pullos nido expellere, idque alias complures volucres facere, quia quibus partus numeroſior eſt, unum ſæpe eiiciunt. Addit præterea, quod in locis arctioribus, & ubi non ſatis cibi pluribus ſit duo tantum incolunt, & ſuos pullos; cum jam poteſtas volandi eſt, primum nido eiiciunt, deinde regione tota expellunt; poſtremo, quod parit corvus quatuor, & quinque. Plinius lib. 10. c. 12. ſubjungit, quod robuſtos quoque fugant longius, & parvis in vicis non pluſquam bina conjugia ſunt, & quod quinos pariunt.

T 2 PSAL-

PSALMUS CXLVII.

ARGUMENTUM.

Concives ſuos hortari proſequitur ad laudes Deo celebrandas Vates.

TITULUS.

Alleluja Aggai, & Zachariæ. LXX.

ANNOTATIONES.

Apud Hebræos præſens pſalmus præteriti ſecunda pars eſt. Hac unica vice D. Parens verba *Aggæi, & Zachariæ* meminit. Apollinarius habet:

Communis Zachariæ, & Aggæi eſt hymnus.
Septimum controverſum habens ſonum alleluja.

Theodoretus aliique Græci nullam mentionem faciunt. Caſſiodorus obſervat, quod Hallelu-Jah ſine faſtidio, atque tædio reperitur.

Nebulam ſicut cinerem ſpargit. Verbum כפור chepor proprie *pruinam* ſignat: ita Hier. & Trevetus. Chryſ. „ rorem concretum". Hilarius nominat „ pruinam „ nebulæ".

In hujus pſalmi fine Hallelu Jah reperitur, nedum in hebraicis impreſſis, verum etiam in emendatis Bibliis latinis.

PSALMUS CXLIII.

ARGUMENTUM.

Idem proſequitur ſubjectum.

TITULUS.

Alleluja Aggai, & Zachariæ. LXX.

℣. 5. Ipse dixit et facta sunt. In teſtu hæc verba deſiderantur.
℣. 8. Ignis, grando. Addit hebræus et grando, quod vim auget.

ANNOTATIONES.

Laudate eum omnes virtutes ejus. Hebraicum nomen צבאות tſebaot multiplicis eſt acceptionis, virtutem, exercitum, chorum demonſtrat. Hieronymus habet „ omnes exercitus ejus": item Chryſ.

Ignis, grando. Sumitur pro igne mixto, qui generatur in aere ex ſublevatis exhalationibus, ex quo fulgura oriuntur. Theodoretus „ ignem" qui videri poteſt in aere quæ appellat aſtra, fulgura, fulmina, turbines accenſos.

In fine Allelu-Jah, adducitur.

PSAL-

PSALMUS CXLIX.

ARGUMENTUM.

Omnibus deviƈtis inimicis, ad laudandum Deum invitat Propheta.

TITULUS.

Hallelu-Jah. Heb.
Alleluja. LXX.

℣. 2. Et filiæ Sion. Hebræus et non habet, immo textus ſenſus alius a latino eſt.

ANNOTATIONES.

Cantate Domino canticum novum. Cantum voce promptum magis exprimunt verba שירושיר Sciru ſcir, quæ de voce humana ſumuntur, non inſtrumentorum, aut belluarum ululatum.

Laus ejus in eccleſia ſanctorum. Simplex hebraicorum explicatio verborum eſt בקהל חסידים bikhal chaſidim in congregatione illorum, qui miſericordiam amplexati ſunt. Idem vero ſenſus.

PSALMUS CL.

ARGUMENTUM.

Idem reſpicit ſubjeƈtum.

TITULUS.

Hallelu-Jah. Heb.
Alleluja. LXX.

Quid peculiare in hoc pſalmo reperiatur eſt, quod ſinguli verſus ejus, & illorum quoque membra verbum habent *Laudate.*

In firmamento virtutis ejus. Hieronymo vertere placuit verbum ברקיע birkiahh in propria ſua acceptione, nempe, *in expanſione virtutis.* Theodoretus ex Symm. „ in firmamento inexpugnabili". Quæ quidem expanſio, aut ex enſio *firmamentum* denotat, cum רקיע rakiahh idem verbum ſit, ac in Geneſi. De cœlo Chryſoſtomus, Baſilius, Euthymius, Nicephorus intellexerunt. Apollinarius vero de firma Dei potentia:

Celebrate eum firmo virtutis fretum robore.

Omnis ſpiritus laudet Dominum. כל הנשמה col hanneſciamah omne quod ſpirat, ſive aves, ſive homines, ita D. Hieronymus. Auƈtor theſauri hebræi in ra-

Digitized by Google

radice נשם naſciam, & Gerebrardus volunt præter halitum, flatum, ſpiritum, animam rei, quæ ſpiritu vitali, aut etiam animali prædita eſt, ſignificare ſpecialiter animam rationalem, ſive mentem , ut cum nomine שמים ſciamaim quod ſignificat cœlos, affinitatem habeat , utpote ſit cœlo deſtinatam.

In hoc enim pſalmo omnia fere inſtrumenta memorata ſunt , inter quæ *organum*: hebraice vocatur עגב hhughau, nempe, *amare ardentius:* unde carmen muſicum apud Ezechielem, hebraice dicitur עגבים hhaghivim *amorum*. Intelligitur pro generali inſtrumentorum genere juxta enarratores, aut de peculiari, quod follibus inflatur. Idem ſentit D. Parens. Verum nunc obſcuriſſima, & fere incognita hebraicorum inſtrumentorum habetur idea, ac notio.

Extra pſalmorum numerum ſubſequens reperitur, qui totus in Sixtina ponitur, pro ut nunc legitur, quique tamquam idiographus ab Hebræis, Catholiciſque habetur; nihilominus cum nec inſtituto noſtro, nec eruditioni repugnet hic tranſcribitur.

Hic pſalmus idiographus in David, & extra numerum quando monomachiam iniit cum Goliad.

Parvus eram in fratribus meis, & junior in domo patris mei paſcebam oves patris mei.

Manus meæ fecerunt organum, & digiti mei concinnaverunt pſalterium.

Et quis annunciabit Domino meo? ipſe Dominus, ipſe exaudit.

Ipſe emiſit angelum ſuum, & tulit me de ovibus patris mei, & unxit me in oleo unctionis ſuæ.

Fratres mei pulchri, & magni, & non bene ſenſit in eis Dominus.

Exivi in occurſum alienigenæ, & maledixit me in Idolis ſuis; ego vero trahens gladium, qui ab illo, capite truncavi eum, & abſtuli opprobrium ex filiis Iſrael.

Jam unicuique apparet, hic de David electione ad regnum agi, deque ſingulari certamine cum Goliaht: genuinum tamen David ſcriptum nemo adjudicat, cum diverſa eluceat phraſis, in qua nihil Davidici intuetur, licet auctor conetur in verbis „ Et quis " propheticum affectare æſtrum. Inſuper clarum eſt, pſalmorum numerum ex centum quinquaginta conſtare, cujus numeri myſticas cognoſcunt cauſſas Doctores. LXX. hunc addunt, quem excepto Athanaſio, ex Patribus nullus meminit, canonicus tamen non eſt. Centum quinquaginta pſalmos tum Hebræorum, tum Catholicorum canon complectitur; nec audiendi ſunt Brochius, Braudius, & P. le Long qui numero illi alios nectunt, ita ut ſi auctoribus recenſitis fides adhibeatur, ultra 1000. pſalmi recitarentur. Quapropter Eccleſiæ firmiſſimo decreto ſtandum eſt, nec peculiaribus judiciis, aut ſententiis adſentiri debemus, in quibus novitatis ſpiritus potius, quam veritatis elucet.

F I N I S.

ANIMADVERSIONES IN PSALMOS

Digitized by Google

	ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 44.	in quo copioſas	in quem copioſos
" 65.	tranſlationes.	tranſlatores.
" 70.	oraiſſes.	praevidiſſes.
" 95.	attigit.	contigit.
" 105.	interpretabur.	interpretamur.
ead. Pag.	imiliter	
106.	Similiter	

Digitized by Google

152

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

156

Digitized by Google



Digitized by Google